

AB
153396

DIIOAN

NIS CHRYSOSTOMI ANTIO

cheni, Archiepiscopi Constantinopoli

rani de dignitate sacerdotali, li

bri sex uere aurei.

..

GERMANO BRIXIO ALTISSIO

dorensi interprete.

DE HIS SIC SVIDAS.

Iohannes Antiochenus, uocatus Chrysoſtomus multa scripſiſſe fertur, ex quibus omnibus, dialogi de ſacerdotū dignitate excellunt, tum ſublimitate & elocutione, tum lenitudine atq; elegantia &c.

COLONIAE CVDEBAT

Ioannes Gymnicus.

AN. M. D. XXX.

IN PRI. LIB. HAEC INSUNT

Cap. 1.

**Quantus fuerit animorum studiorumq; inter
Basilium & Chrysoftomum consensus.**

Cap. 2.

**Conatur Chrysoftomum mater à salutari pro
posito distrahere.**

Cap. 3.

**Refugit sacerdotium Chrysoftomus & Basili
um in suam sententiam ducere studet.**

Cap. 4.

**Responsio Basiliij, & salutaris eiusdem ammo
nitio.**

Cap. 5.

Quid sibi Chrysoftomus respondendū putet.

Cap. 6.

**Quod simplex & bona deceptio, subinde non
impia neq; inutilis sit.**

AD IOAN-

NIS CHRYSOSTOMI, QVOD

multæ quidem dignitatis, sed difficile

fit Episcopum agere liber

primus.

CAPVT I.

FVERE MIHI OLIM AMICI
complures, ijdemq; ueri & germani, ac
qui studiose accuratèque amicitiaè leges
tum intelligerēt, tum seruarent. Horum
complurium in numero unus quidā exi-
mia erga nos charitate ac beneuolentia, ita illos
exuperare contendit, ut omnes tanto post se inter-
uallo ipse relinqueret, quanto illi reliquos alios, à
quibus utcunq; amarer, reliquissent. Hic ipse ex ijs
erat, qui lateri meo perpetuo assiderent. Etenim
quum earundem disciplinarum sacris initiati fui-
mus, tum etiā præceptoribus ijsdem operā uterq;
dedimus, erat & nobis eadem animi propensio,
erat studium par in illas ipsas, in quibus uersaba-
mur, literas: præterea idem desiderium ijsdem è re-
bus natum. Neq; enim solum quo tempore ad ma-
gistros scholasq; condiscipuli adiremus, sed etiam
cum ab illis egressos consilium iam inire oportere-
ret, quā nam præstaret uitæ futuræ uiam sequi, &
hic quoque eadem in nobis animorum conspira-
tio, eadem cōcordia apparebat. Erant & alia itē,
quæ uoluntatum nostrarum cōuenientiam hanc,
constantem inconcussamq; seruarent. Neque

A 2 enim

DE SACERDOTIO

enim ob patriæ amplitudinem claritatemq; alter altero sese plus efferre ac uenditare poterat: neq; ego rursus summa diuitiarum copia abundabam, ille cōtra, extrema premebatur paupertate: quin imo facultatum nostrarum modum consiliorum paritas ac studiorum æquabilitas æmulabatur. Adde quod & nobis idem generis honos ac splendor, ut nihil non concurreret ad uoluntatum, studiorum, sententiarum consensionem. Postea uero quàm eò à nobis uentum est, ut iam oporteret monasticam uitam, beatam quidem illam ac felicem persequi, ac ueræ philosophiæ studijs inhærere: iam non hæc erat nobis par eademq; statera: at illius quidem lanx sublimis, ut quæ leuior esset, ferebatur: ego uero humanarum rerum cupiditatib⁹ etiamnum abundans, meam ipsius lancem deprimens, deorsum stare cogebam, alijs atq; alijs eam aggrauans cogitationibus. Hic amicitia quidem nostra constans stetit, ut & antehac: at cōsuetudo conuersatioq; dirempta: neque enim dabatur, ut qui haud in iisdē amplius uersarentur studijs, communes inter se congressus haberent. Cæterum ubi & ipse paululum caput à uitæ huius tempestate exerui, hic nos ambabus ille manibus porrectis excepit. At ne sic quidē pristinā inter nos æquabilitatem tenere quiuimus. Quippe quum nobis ille tēpore anteuertisset, itemq; uehementiā studiumq; ad id non modicum attulisset, rursus me ipso sublimior ferebatur, in altū admodum sublat⁹: idē tamen bonitate sua, & quod amicitiam nostram magnificeret, à cæterorum omnium contubernio

LIBER PRIMVS.

nio sese abducens assiduus nobiscum erat, id quod & antehac desiderauerat: sed quod dixi, ab animi huius langore prohibitus, assequi minime potuerat. Nam qui fieri posset, ut qui continenter iudicijs ac foro assiderem, quicq; idem scenæ oblectamenta attonitus sectarer, frequēti uti possem consuetudine eius, qui non nisi libris affixus in forum nunquam uentitaret? Quocirca quum id illi per nos prius nequaquam licuisset, ubi primū factum est, ut me in communem secum uitæ cōditionem acciperet, tum demū quod iā pridem desiderium parturiebat, confertim peperit: ac ne breuissimam quidem diei partem à nobis absens fieri sustinuit, nunquam nō adhortans, ut domo uterq; sua derelicta unā habitaremus: atq; id quidē persuasit, iamq; ea res nobis præ manibus erat.

C A P. II.

AT uero assiduæ matris illecebræ obstiterunt, quo minus hac ego illū gratia demererer, seu potuis quo minus id beneficij illi deberem. Eteim ubi illa subodorata est id me consilij inire, dextra apprehensum introduxit in peculiare sibi cubiculum. Hic illa quum sedere propius se uoluisset, super eum lectum, in quo me enixa fuerat, in lachrymarū fontes prorupit, uerba etiam num adiiciēs, quæ me plus lachrymis illis omnibus ad misericordiam pertraherent. Porro eius quidē lamenta eiusmodi fuere. Patris tui uirtute ac præstantia, fili, me haud ita multum temporis uti frui numen permisit. Quippe cuius mors dolores eos, q̄s in te pariendo passa sum, statim exceperit,

Matris
oratio.

A 1 ac

DE SACERDOTIO

ac tibi orbitatem, mihi uiduitatem attulerit intē-
pestiuam: ut fileam uiduitatis ipsius mala, æru-
mnas, incommoda: quæ quidem solæ animo illæ
complecti recte queant, quas contigerit ea ipsa
perpeti. Nullius enim sermo, nullius oratio par
esse possit enarrandæ tempestati ac turbulentia
illi, quam subire par est puellam, quæ ipsa etiam
dum rudis, rerumq; humanarū expers, simulatq;
paternam domum reliquerit, derrepente immen-
forum dolorum facibus æstuans, curam, sollicitu-
dinemq; ætate ac sexu superiorem sustinere cogi-
tur. Quippe quàm necesse est seruorum ignauias
emendantem, eorundem maleficia obseruare, co-
gnatorum propulsare insidias, publicanorum mo-
lestias, & quam illi, dum eis tributa numeranda
sunt, immanitatem exercere solent, forti genero-
soq; animo ferre. Proinde quū decedit pater reli-
ctā à se prole, si quidem fœmina ea est, magnā uel
sic matri curam exhibet: sed tamen hoc ipso tole-
rabilem, quod illius educatio tum impensa caret,
tum etiam formidine uacat. Cæterum masculus à
patre relictus matris animum in dies singulos im-
mensa formidine, itemq; compluribus complet
sollicitudinibus, ut nihil hic agam de sumptu, deq;
impensa, quam multam sustinere cogitur mater,
quæ adlaborat ut masculus ille liberaliter educe-
tur. Quarum rerum omnium nulla me tamen per-
mouit, ut nuptiis iteratis sponsum alterum in pa-
tris tui ædes inducerem: quin potius in æstu illo,
in fluctuatione ac turbine perseuerans, cœlestis
gratiæ suppetiis in primis adiuta, ferream illam
uidui

LIBER PRIMVS.

uiduitatis fornacem nulla ex parte refugi: quum mihi inter eas ipsas ærumnas atq; incommoda solatio esset non modico, quod aspectum assidue spectare, inq; eo tanquam uitalem defuncti mariti imaginem, uerisq; ac certissimis characteribus expressam mihi asseruare daretur. Quo nomine infans admodum quum adhuc esses, necdum fandi gnarus, qua potissimum ætate maximam liberorum suorum uoluptatem parētes sentiunt, magno certe mihi solatio, magnæ iucunditati fuisti. Atqui ne id quidem mecum exoptulare possis, quod nos uiduitatis quidem conditionem perpessæ fortiter simus, cæterum uiduitatis eiusdem angustijs coarctatæ paternas tibi imminuerimus facultates: quod ipsum infelicibus orphanis permultis usu uenisse scio, Siquidem patrimoniū tibi nulla non parte saluum integrumq; seruaui: quum tamē nihil etiam prætermiserim sumptuum eorum, qui tibi nominis istius existimationem aliquā parare possent: quos sumptus suffeci ex meo ipsius peculio, hoc est ex ijs pecunijs quas mecum domo paterna attulerā. Neq; uero existimare te uelim, exprobrandi gratia hæc nunc à me dici: uerū pro rebus his omnibus unam abs te gratiam peto, ne me uiduitate iterum inuoluas, neu luctum iam sopitum rursus exuscites: obitus huius diem potius expectato, hinc paulo post nobis fortasse emigrandum. Nam ut qui iuuenes sunt, ad longe senectutis annos accedant, sperare quidem liceat: cæterum qui iam consenuimus, quid aliud quàm mortem iam iam aduentantem præstolamur?

A † Ita

DE SACERDOTIO

Itaque ubi corpus hoc à te sepultum cum patris tui ossibus coniunxeris, tum demum fili longas profectioes suscipito, & quodcumque æquor collibitum fuerit arato, per me nemo tunc prohibiturus est. Ceterum tantisper dum spiramus, contubernium conuictumque hunc nostrum sustineto, dei offensionem frustra ac temere ne incurrito, neue committito, ut matrem nihil commeritam tam multis inuoluas incommodis: qui si forte criminari potes quod in uitæ huius molestias pertractum, rerum tuarum curam temet gerere cogam: te non iam naturæ leges moueant, non educationis consuetudinisque iura tangant, denique nulla te res alia demoretur, quo minus nos statim insidiatorum atque hostium loco habeas, uitato etiam contubernio nostro. At uero si nihil non agimus, ut tu facile altoque in ocio possis uitæ huius curriculum transigere, si minus aliud uinculum, certe hoc unum te apud nos detineat. Nam ut te à sexcentis amari dicas, nemo certe erit, qui tibi tantæ libertatis tantique ocij usuram perfruendam accommodet, quanti ipsa accommodo: quum et neminem esse putem cui nominis istius existimatio æque ac mihi uni chara esse possit. Hæc & his longe plura matris ad me monita erant: quæ quum amico illi uere magnanimo ac generoso recitassem, tantum abfuit ut ipsi ipse moueretur, ut acrius etiam instaret, eadem à me, quæ & ante efflagitans.

Caput III.

HAec cum inter nos uersarem, remque ille assiduus urgeret precibus, me interim nihil
in

LIBER PRIMVS.

innuente, ecce exortus derepente rumor quidam
 nostrum utriusq; animum commouit. Percrebue-
 rat autem fore, ut ad episcopalis honoris munus
 gerendum uterq; accerferemur. Qui rumor dum
 ad me fuisset perlatus, hinc formidine, hinc hæsi-
 tantia perculsus sum: formidine, ne forte uel inui-
 tus eò ipse raperer: hæsitantia, dum identidem ani-
 mo uersarem, undenam in illorum patrum ani-
 mos obrepisset, ut de nobis tale quiddam cogita-
 rent. Nam mihi quidem ingenij mei uires circun-
 spicienti non succurrebat quicquam quod hono-
 rem illum mereretur. Ille autem ad me cum adis-
 set, semotisq; arbitris mecum rem totam commu-
 nicasset, ratus nondum me quicquam de ea audi-
 isse obsecrabat, ut quemadmodum antea semper
 apparuisset, ita etiam nunc appareret, nos ambos
 eorundem factorum cõsiliorumq; rationem hac in re se-
 qui uelle: paratũ sese ut sequeretur, ac mihi comes
 foret, utrauis ego uia præire mallẽ, seu fugiendũ,
 seu qd offerabant illi, sequendum magis esset. Itaq;
 animaduertens tam propensam in eo uoluntatem,
 tum uero arbitratus me hoc nomine magnũ uni-
 uersæ ecclesiæ detrimentum allaturum, si ob me-
 am ipsius imbecillitatem infirmitatemq;, Christi-
 anum gregẽ iuuenem tanta probitate prædito, eo-
 demq; regendis moderandisque alijs maxime ido-
 neo spoliarem, non iudicauit detegendum illi esse
 quid animi super ea re haberem, tametsi nunquam
 antea passus, ut illum consiliorum meorum quic-
 quam lateret. Cui quum indicassem me negocij
 huius in aliud tempus reijcere (neq; enim id in præ-
 sen-



DE SACERDOTIO.

sentia urgere) factum est, ut statim persuaderem, non esse ulterius super eo cogitandum. Præstiti autem ut confideret unanimum me ac concordem secum fore, si quando tale aliquid euenisset. Tempore autem haud ita multo elapso quum iam dies aduenisset, in quo eligendi uterque essemus, ac me ipse occultassem, idem ille harum omnium rerum ignarus quum esset, apprehensus, ducitur quidem à patribus tanquam alio prætextu, sed tamen iugum nequaquam detrectat: quod promissa nostra spem illi facerent, nos eò omnino sequuturos, seu potius nos iam præire, se subsequi. Etenim nonnulli ex eorum numero qui aderant, quum uiderent illum haud æquanimiter se captum ferre, facile ei imposuere, acclamantes, absurdum esse, illum qui omnium iudicio ferocior uisus semper fuisset (me designantes) multa cum comitate ac facilitate patrum suffragiis parere: eum uero qui prudentia ac facilitate semper excelluisset, ferocire & tanquam gloriosulum apparere, resiliens, tergiuersantem, obsistentem. His ille uerbis acquiescens postea quum intellexit me subterfugisse, tristis admodum ad me adiit, ac mihi propior quum assedisset, eloqui quidem nescio quid uelle uidebatur: cæterum ab animi angustia occupatus, quum oratione uim eam qua premeretur assequi nequiret, in ipso oris hiatu dari prohibebatur, ipsa animi consternatione orationem, priusquam ea dentes transilisset, interrumpente. Itaque illum ego intuitus lacrymis permadentem, ac multa animi percussam conturbatione, mali causam cum intelligerem, in
ri

LIBER PRIMVS.

risum præ nimia animi uoluptate prorupi: apprehensumque dextra deosculari conatus sum: deo acceptum referens, quod astus meus felicem tandem fuisset exitum sortitus, ac non alium ab eo quem animus hic optauerat. Ut uero me uidit lætā hilarumque frontē præferre, ac tum primū à me deceptū sese aīaduertit: hoc magis animo compūctus indignatusque est.

Caput IIII.

PORRÒ ab eo animi æstu quietior tandem paulum factus. Tu uero, inquit, ut partes etiam nostras respueris, ac nullam iam nostri rationem habeas (id quod si ita est, qua tādē causa non facile perspicio) te certe oportuit uel famę existimatiōisque tui rationem habere. Nunc uero mortaliū omnium ora adaperuisti, quorum hæc una consentiens uox est: te per inanis glorię cupiditatem munus hoc recusauisse: neque enim quisquam est, qui te ab hoc crimine eximat: mihi autem ne in forum quidem uentitare licet: tam multi nobis occurrant nullo non die facinus istud uitio uertentes. Nam quoties illi quacunque uis urbis parte me conspexere, statim semotis arbitris abductum (de ijs loquor qui amicitia ac necessitudine aliqua nobiscum coniuncti sunt) bonæ criminis huius partis reum faciūt, illius enim, inquit, animus tibi exploratus quum esset (quid autem rerum ad illum pertinentium latere te poterat?) oportuit te rem minime dissimulare, sed nobiscum communicare: id quod si fecisses, nunquam profecto nobis defuisset ars qua illum

Basilius.

DE SACERDOTIO.

lum in retia coniecissemus. Me uero hic fateri pudet, nesciuisse id à te consilij multo iam ante tempore initum: idque ne amicitiam scilicet nostram fictam illi ac simulatam hactenus fuisse ducant. Nam si ea simulata est, ut omnino est, quod ne tu quidem inficiari possis, uel ex commissis aduersum nos tuis: tamen externos homines, eos praesertim qui uel mediocrem de nobis opinionem concepere, opere praetium esse reor, uitia, si qua in nobis sunt, celare. Itaque rem ut se habet, uere apud illos edisserere dum uereor, cogor prorsus, quod unum superest, caput in terram silentio mihi indicto demittere, amicorumque occursum auersari ac declinare. Etenim ut prius illud crimen, cuius nos illi damnant, effugiam: restat tamen necessario, ut me mendacij conuincant. Neque enim persuasum illis unquam esse queat, quod & Basilium quoque in eorum loco ac numero habueris, quibus arcanorum consiliorumque tuorum conscientia interdicta esset. Caeterum posteaquam id tibi cordi fuisse uideo, de eo non admodum laboro. Reliquum uero dedecus qui ferre possimus? Certe alij te fastidij ac contumaciae, alij inanis gloriae accusant: quotquot autem rem damnare seuerius rigidiusque uolunt, nos duplicis huius criminis reos agunt: Insuper addentes contumeliae crimen, qua contumelia à nobis affectos fuisse eos dicunt, qui nos honore illo dignati sunt: quos etiam censent, non ea solum iniuria, quam à nobis accepere, sed longe etiam grauiore dignissimos: propterea quod egregijs atque excellentibus uiris (quos multos haberent) à se



LIBER PRIMVS.

se relictis contemptisq̄, duos quosdam adulescentiæ annos heri aut nudius tertius egressos, uite huius curis etiamnum inuolutos, ut per exiguum tempus supercilia ipsi sua fastuosi contraherent, pullos habitus induerent, uultusq̄ tristitiam adfingent, de repente ad tanti honoris culmen perduxerint: quantum ne in somnis quidem assequi sperauissent. Atq̄ ij quidem, inquiunt, qui à prima ætate ad extremam senectutem acribus atq̄ assiduis meditationibus uigilijsq̄ sese exercēt: en modo, si diuis placet, inter subditos sunt: imperant autem ipsis ipsorum filij, atq̄ adeo ij qui ne leges quidem ac præcepta audiere, quibus huiusmodi magistratus regendus moderandusq̄ sit. Hæc ipsa & his longe etiam plura qui nobis assidue obijciant passim exoriuntur: quum ego interim defensionē plane non habeam qua aduersus illos tuear. Itaq̄ partes hic tuas imploro, neq̄ enim puto leuiter te ac temere cum genus hoc fugę quæsiuisse: tum uero in tam acrem uirorum tam præstantium offensionē incurrere uoluisse: sed te potius consilio quodam atq̄ animi cogitatione ad id descendisse, quo fit ut coniectem paratam tibi rationem, qua tu factum istud tuū recte tueri ac defendere ualeas. Effare, obsecro, si qua tibi iusta excusatio adest: quā afferre deinceps possimus aduersus eos à quibus in crimen uocaris. Neq̄ enim postulo, ut causam hic dicas, cur factum sit, ut me sic offenderes, deciperes, proderes, nulla etiam ratione habita fructus eius, quē tibi perpetuus amicitiae nostrę usus antea peperisset: quum nos animum nostrum gestantes

DE SACERDOTIO.

stantes, ut sic dicam, tibi tanquam in manum tradiderimus, tu contra tantum aduersus nos astum adhibueris, quantum maximum potueris, ac quantum utique adhibuisses, si tibi fuisset ab aduersarijs tuis cauendum. Atqui oportuit, si quidem consilium istud utile ac commodum noueras, te lucrum eius modi minime deuitare: sin detrimentosum, & me quoque (quem tu te semper omnibus in amicitia praetulisti) a detrimento isto per te liberum esse: quum tu tamen operam omnem nauaueris, ut in aduersariorum laqueos inciderim, dolo etiam ac simulatiōe aduersus eum adhibita, cuius dicta factaque omnia syncera, simplicia, ac dolo ubique carētia nunquam non expertus es. Enimvero, quod iam a me dictum est, nihil horum hic tecum expostulo, neque exprobro solitudinem in quam tute nos coniecisti, congressibus colloquiisque ijs per te diremptis, ex quibus non uulgarem idētidem tum uoluptatem tum utilitatem cepimus. Hæc enim omnia missa faciens facile atque humaniter sustineo, non quod tu humaniter in nos deliqueris, sed quod hanc mihi ipse legem præscripserim, ex quo amicitia mihi tua coli coepta est, ut si quid postea in me delinqueres, nunquam te ego ad causæ dicendæ necessitatem adigerē. Nam quod sim ego non mediocri abs te damno affectus, tute etiā nosti: si mō memor esse uelis sermonum eorum quos tū alij, tū nos de nobis ipsis perpetuo usurpauimus: qui sermones haud aliud sonabant, quā quod ex animorum nostrorum conspiratione magnus nobis fructus olim sperandus esset. Proinde munien
dos

LIBER PRIMVS.

dos firmandosq; nos cēsebas mutua inter nos cha-
ritate atq; amicitia : quin & ceterorum omnium
sermo in hoc consentiebat, ut concordiam amici-
tiamq; nostrā etiam alijs permultis in primis uti-
lem ac necessariam fore dicerent. Ego uero, quod
quidē ad me spectaret, nunq̄ mihi persuasi ad ali-
os utilitatem istam manaturā. Certe id lucri non
exigui nobis inde accessurum dicebam, quod ma-
gno cum negotio capiendi expugnandiq; essemus
ab ijs qui nos oppugnassent, ac te quidem antea
semper hisce à me uerbis commonefactum memi-
ni. Tēporis difficultas magna, insidiatores per-
multi, uera ac germana charitas extincta: in cuius
locum inuidiæ labes inuasit, per laqueos medios
ingredimur, inambulamus per muros pinnas
minasq;: neq; desunt qui siquid calamitatis forte
acciderit, malis nostris insultaturi sint (multi au-
tem multis ex locis imminentes circumstant) qui
uero mali dolorisq; participes futuri sint, nulli
prorsus, aut si qui ij esse possunt, pauci admodum
sunt. Vide ne forte disiuncti dissociatiq; risum ali-
is luculentum præbeamus: neue, quod risu deteri-
us futurum fuerit, magnum nobis malū atq; incō-
modū accersamus. Frater, à fratre protectus adiu-
susq; quid aliud est quā fortis quæpiam urbs: quā
regnū aliquod tanq̄ uectibus repagulisq; undiq;
constabilitum? Ne, obsecro, ne istam dissoluas ne-
cessitudinem, neu amicitiae nostrę uectē cardinēq;
diuellas. Hæc ipsa una cū alijs pluribus nunq̄ non
inculcabam, nihil oīno tale accidere posse quod
accidit suspicatus, quin potius arbitratus te sano
admo

DE SACERDOTIO.

admodum erga nos animo esse amoris abundantia quadam medelam afferebam, ipse imprudens insciensq; ægrotanti medicinam adhibens. Ac ne sic quidem miser opem tuli, neq; mihi lucri quicq; accessit ex tanta illa cautione ac prouidentia. Quandoquidem omnia illa simul excutiens, ac ne in animi quidem cogitationem influere permittens, me continuo tanquam nauem nullis fulcimentis ualulatam in immensum pelagus coniecisti, nihil expensens fluctuum illorum, quos ferre cogimur, sæuitiam atq; asperitatem. Nam si quando nos uel calumniam, uel cachynnum uel aliam id genus iniuriam molestiamue pati oportuerit (per sæpe autem multa eiusmodi necessario erumpunt) ad quem, obsecro, confugiendum nobis erit? qui cum quæso, animi nostri dolores atq; angustias communicabimus? quis nobis necessitate aliqua pressis auxilio esse uolet? quis molestiæ autores de medio tollet? quis animi huius mœstitiam sedaturus est? quis nobis solatium ac iucunditatem allaturus? quis animum nostrum præparaturus ad aliorum ineptias fortiter perferendas? Certe neminẽ futurum puto, posteaquam te ipse à graui isto ac periculoso bello eò subtraxisti, unde ne clamorem quidem exaudire possis. Ecquid igitur animaueris quàm atrox, quàmq; nefarium facinus perpetraueris? Ecquid post inflictam saltem à te plagã sentis quàm perniciosum ac letale nobis uulnus intuleris? Cæterum de his satis superq;, neque enim quæ facta sunt, fieri ea infecta possint, neq; ei rei quæ deplorata sit, remedium afferre ullũ queas.

Tan

LIBER PRIMVS.

Tantum edoce, quod nos tandem orationem apud alios usurpare, quodue defensionis genere illorum criminationes retundere possimus.

Caput V.

BONO, inquam, animo esto: neque enim harum modo rerum nomine paratus sum ad rationum reddendarum calculos descendere: sed à quarum quoque culpa immunem me esse uoluisti, earum tibi hic rationem defensionemque expedire pro uiribus annitar. A quibus ipsis (si placet) Apologiae nostrae exordium sumatur: quippe absurdo planè neque satis candido ac liberali animo fuerim, si sollicitus quam nam alij de me opinionem habeant, studiumque omne adhibens, ut criminandi accusandique mei finem tandem illi faciant: hominem mihi amicissimum, quique sic me ipse uereatur, colat, obseruet, ut ne de ijs quidem quas à nobis accepisse se dicit iniurijs, mecum exoptulare uelit: denique talem ut sui ipsius causam dignitatemque postponens ac pro nihilo ducens, nostrae in primis curam habeat: non possim hic flectere illique persuadere, nulla à me iniuria laesum fuisse: quin potius praestem, ut maior nostra erga illum somnolentia ac negligètia, quam illius erga me studium, ac sedulitas fuisse ostendatur. Itaque quid tandem illud est in quo te ipsi laesimus? siquidem hinc constituimus Apologiae pelagus ingredi. Laesi ne quod circumuenerim atque imposuerim? quod animi mei sententiam occultandam tibi duxerim? quod tamen factum à nobis est partim tuo circumuenti commodo, partim eorum utilitate quibus te im-

b postura

DE SACERDOTIO

postura nostra prodidimus. Nam si in uniuersum fraudis genus qualecunq; malum uituperandūq; est, neq; eā cuiq; licet in hoīm usum utilitatēq; unq; uertere: equidē paratus sum pœnas dare quascūq; p̄scripseris: seu ut uerius dicā, qñquidem tu, ni fallor, nunq; à nobis sustineas pœnas exigere, ultro ipsi nobismet eā pœnā irrogabimus, qua iudices mulctare eos solēt, q; iniuriæ illatę rei sunt, quoties ab aētoribus suis rei p̄acti fuerit: sin uero fraus ipsa nō semp incōmoda, sed p̄ eorū qui eā adhibēt aīo atq; consilio bonæ uel malæ rei nomē sortit̄, missam faciēs criminationē istā, qua te à me circūuentū quereris, edoce, nisi graue est, in malū damnūq; tuū, fraudē huiusmodi fuisse à nobis excogitatā, qñquidē donec animus malus abfuerit, consentaneum est, ut qui sese iustos æquosq; in causa eiusmodi ostendere uelint, deceptorē hūc quē dico non mō non accusent culpēntue, sed etiā laudent atq; approbent. Caput VI.

TAm lucrosa em̄ tamq; fructuosa eē solet opportuna ac recto animi iudicio fētā fraus, ut permulti etiam pœnas sep̄numero luerint, hoc ipso qd̄ rē fraude nō egissent. Ac si exquirere uelimus, quinam copiarū Impatores iā inde ab orbe condito claruere: illorū trophęa bona ex parte cōperiemus imposturæ ac fraudis facinora fuisse: eosdemq; fatebimur maiore quidē laude dignos, q̄ qui apto Marte uictoriā de hostibus reportant. Hi enim magno cū sumptu tū pecuniarū tū corporum sic bella cōficiunt, ut ab ipsa etiā uictoria nihil illis amplius accedat: quin potius uictores quū sint

LIBER PRIMVS.

sint, nihilo tamē secius parī cū ijs qui uicti sunt ca-
 lamitate premuntur, tum copijs absumptis, tum
 ærario exhausto. Ad hæc qui uicti sunt ne ipsos
 quidem uictores, patiūtur solida uictoriæ gloria
 perfrui: cuius bona pars ad eos redit qui cecidere,
 utpote q̄ animis uictores, corporibus solū inferio-
 res fuerint: q̄bus itē si per sua uota in bello nō ca-
 dere licuisset, neq̄ illis mortis interuentus dimica-
 tiōis finem attulisset nimirum alacritatis magna
 nimitatisq̄ suæ ostendendæ modum fecissent nul-
 lum. At qui fraude aliqua uictoriam sibi parat, is
 præterquā quod calamitatem atq̄ perniciem ho-
 stibus affert, id etiam præstat, ut cæteris illi de fe-
 risum præbeant. Neq̄ uero ut illic fortitudinis, sic
 & hic prudentiæ laudē gloriāq̄ ex æquo utriq̄
 reportant: uerum integra uictoriæ totius laus ad
 uictores solos pertinet. Et quod ijs quæ dixi infe-
 rius nequaquam esse reor, qui astu uincunt ciuita-
 ti suæ seruant synceram, illibatam, atq̄ integram
 ex uictoria parta uoluptatem: neq̄ enim commu-
 ne quicquam habet animi prudentia cum pecuni-
 arū corporumq̄ multitudine atq̄ copia: quibus
 quidem insueuit, ut quo magis in bello utaris, eo
 magis insumentur, magisq̄ suos deficient posses-
 sores: quum contra natura sic comparatum sit ut
 animi prudentia, quo magis exerceas, eo magis
 adolescat. Neq̄ uero foris tātum ad militiam, sed
 etiam domi ad pacem non publicis modo ciuita-
 tis, sed & priuatis uniuscuiusq̄ negocijs pertractā-
 dis, & marito aduersus uxorem, et uxori aduersus
 maritum, & patri in filium, & amico in amicum,

B 2 addā

DE SACERDOTIO

Reg. 19.

addam etiam & liberis in patrē, astus huius usum communem, necessariumq; comperies. Neq; enim filia Saul maritum suum alia ratione de Saul manibus eximere, quā circunuento ac decepto patre potuisset. Cuius item frater eundem illum ab ea semel seruatum de uita periclitantem seruare dum uellet, iisdem telis quibus & uxor, sese arma-

Basiliius.

uit. Atq; hic Basiliius: At nihil horum, inquit, ad me: neq; enim hostis ego atq; aduersarius, neq; eorum numero, qui nocere iniuriamq; afferre parant: quin ipse contra, animi tui sententiæ omnia

Chryso.

mea quum commissem, de ea uia nunquam deflexi, qua me ipse subsequi iussisses. Ego uero ô admirande idemq; optime Basili, nō ob aliud, inquam, q̄ ob hoc ipsum anteuertens nuper docui, non in bello tantum contra hostes, sed etiam in pace aduersus amicissimos quosq; astus huius usum conuenire. Nam quod id conducat non circunuenientibus solum, sed etiam circunuentis: ad unum aliquem ex medicis profectus, sciscitare, quemnam illi in modum laborantes, morbo liberare soleāt, certe ex ijs audies meram nudamq; artem ipsis nō satis esse: sed & aliquoties eosdem impostura uti, cui auxilio cum arte medica commixto ægrotantem sanitati pristinæ restituant. Etenim dum hinc ægrotantium morositas, hinc morbi difficultas medicorum auersatur consilium, tum coguntur illi, fraudis atq; imposturæ personam induere, ut, quod in scena fieri solet, in qua fictis omnibus & adumbratis loci plurimum est, rerū factorumq; ueritatem occultare possint. Atq; hic si placet dolum

LIBER PRIMVS.

lum unum explicabo ex multis, quem olim à me-
dicis fuisse structum audiui. Inciderat quidam in
acrem uehementemq; febrim: Idem æstu febris in
dies gliscente augescenteq; remedia ea omnia auer-
sabatur, quæ ad ardorem illum restinguendum
facerent: cæterum quum desiderio ferretur, mul-
tusq; esset in urgendis hortâdisq; omnibus ijs, qui
ad se introissent: id perpetuo agens, ut multo ui-
no eoq; meraco sibi porrecto, exitiosam illam ap-
petentiam extingueret: futurum quippe erat ut si
quis illi obsecundans hac in parte gratificatus fu-
isset, febris ardorẽ non solũ magis inflâmaret, sed
miserum etiam illũ prorsus ad insanã furoremq;
adigeret: hic demum cum ars ipsa effœta iam atq;
exhausta nullum salutis remedium inueniret, in
eius locum sese fraus insinuans, tantam exhibuit
uirium suarum uirtutem, quantam mox ex me
auditurus es. Etenim medicus acceptum uas testa-
ceum (id recens à fornace exierat) uino permulto
immerfit: quod quum uacuum, sed apprime tin-
ctum extraxisset, aqua implet: tum iubet ægro-
tis cubiculum tapetibus uelisq; undiq; adumbra-
ri, ne fraus ipsa lumine detegatur: hic testã ægro-
to propinat, quasi mero plenam: quam ille mani-
bus quum apprehendisset, uini odore ad eius na-
res statim peruadente, non sustinuit curiose inda-
gare, quid sibi à medico porrigeretur: uerum ap-
petitæ rei desiderio uictus, quod propinabatur,
propensissime hausit, ac satiatus febris æstum sta-
tim excussit, periculo eo, quod graue imminebat,
liberatus. Iam si quis fraudis eius, de qua loquor,

Bon^o me
dici dol^o.

B 3 com

DE SACERDOTIO

Commoda utilitatesq; unà cum medicorum do-
lis omnibus recensere uolet, huius certe oratio
nullum prorsus finem habitura sit. Comperies au-
tem nō ab ijs solum qui corporum medendor; sed
etiam ab ijs qui animi curam suscipiunt, pharma-
ci huius usum assiduum usurpari solitum. Sic bea-
tus ille Paulus multas illas Iudæorum myriadas
ad se allec̄tauit. Per huius item consilij rationem,
idem ille, qui Galat̄is comminatur fore ut Chri-
stus circūcisos nihil adiuuet, Timotheū tamen cir-
cuncidit. Propterea item legi aliquoties sese sub-
mittit: qui idem pronūciat post fidem deo datam,
exitiosam esse legis sanctificationem. Fraudis qui-
dem magna uis, modo ne fraudulento ea animo
fiat: quam ipsam tum ne fraudem quidem nomi-
nandam puto, uerum œconomiam quandam po-
tius ac sapientiã artemq; qua possis è medijs ijsq;
imperuijs desperatarum rerum angustijs difficul-
tatibusq;, correctis emendatisq; animi uitijs eua-
dere. Neq; enim Phinees illum homicidam ego
unquam appellauerim, quanquam is plaga una
corpora duo sustulit. Quemadmodum neq; Heli-
am uel post milites centum unà cum ducibus suis
interfectos, atq; adeo post magnum illum sanguī-
nis torrentem, quem ex eorum nece qui dæmoni-
bus consecrati essent fecit excurrere. Nam si hoc
dederimus, & res ipsas per se singulas, nudas, ab
autorum suorum consilio propositoq; separatas
expendere quis uoluerit: nemini sanè non licebit,
uel Abraam ipsum parricidij accersere: Item &
illius tum nepotem tum abnepotem doli ac ma-
lcfi

Act. 16.

Num. 26.

4. Reg. 1

3. Reg. 18.

Genes. 32.

LIBER PRIMVS.

Ieficij reos agere: sic enim ille ius sibi primigenio
rum usurpauit: hic autem Aegyptiorum opes in **Genes. 27.**
Israelitarum castra transtulit. Sed non est ita: nō **Eodi. 13.**

est ita. Faceffat hinc tanta ista impudentia, neque
enim solum eos quos modo nominavi culpa libe-
ramus sed etiam eosdem uel hoc nomine admira-
mur: quandoquidem & ipsi hoc demum nomine
gratiam à deo magnam inierunt. Proinde ueri
illusoris deceptorisq; nomenclatura dignus fue-
rit, quisquis re ipsa iniquo ac nocendi animo abu-
titur: alioqui se penumero profuit decepisse: & hac
potissimum arte in maximis rebus alteri opem
subsidiumq; tulisse. Cæterum qui recto sem-

per calle ingreditur, de eo nunquam

deflectens, sæpe fit, ut ei etiam

cui nō astum aliquem stru-

xerit, malorum in-

commo-

rumq;

quamplurimorum au-

tor fit.

LIBRI PRIMI FINIS.

B 4 DIVI

H A E C I N . I I . L I B . I N S V N T .

Cap. 1.

**Quod sacerdotium præcipuum sit dilectionis
in Christum indicium.**

Cap. 2.

Quod huius officium præcellat alijs.

Cap. 3.

**Quod magnum requirat animum & admi-
randum.**

Cap. 4.

**Quod multæ dignitatis sit officium, uerum pe-
riculis & difficultatibus plenum.**

Cap. 5.

**Quod per dilectionem Christi officium hoc
fugerimus.**

Cap. 6.

**Expositio uirtutis D. Basiliij, & quod uehe-
mens sit eius charitas.**

Cap. 7.

**Quoniam non in contumeliam illorū qui nos
ordinare decreuerāt, hoc ministerium fugerimus:
sed magis eos à uituperatione, quam pati pote-
rant liberauimus.**

DE IOAN

NIS CHRYSOSTOMI DE SA

cerdotio liber secundus eodem in-
terprete.

CAPVT I.

PROINDE quod fraudis uim atque
usum bonam etiam in partem exercere
possis, seu (ut uerius dicā) quod ne frau-
dis quidem, sed admirandæ cuiusdam dispensatio-
nis nomine tum fraus ea designanda sit, pluribus
quidem hic à me exemplis doceri poterat: quum
uero quæ à nobis adducta sunt, ea idoneam rei cō-
probādæ fidem facere possint, graue molestumq;
arbitror in prolixitatem quæ superuacanea sit,
orationem nostram producere. Reliquum est, ut
tute expendas, num ex usu ac commodo tuo fraus
ea à nobis adhibita sit. Tum **Basilius**. At quodnā,
inquit, commodum ad nos ex hac redijt seu œco-
nomia seu sapiētia, seu quocunq; eam nomine ap-
pellare mauis: ut testatum nobis esse queat ac per-
suasum fucū mihi à te nequaquā esse factū. Quodnā
uero, inquam, hoc uno maius commodū existat,
quàm si ea nos facta præstare constiterit, quæ ipsa
dilectionis charitatisq; in Christum exempla esse
Christus ipse nos docuit? Hic enim cum apostolo
rum principe uerba faciēs: Petre amas me, inquit,
atq; illo id confitente, adiungit: Si amas me, pa-
sce oues meas. Interrogat discipulum præceptor,
num ab eo ametur: non quo id ipse edoceatur (qui
B 5 enim

Basilius.

**Chryso-
stomus.**

Ioan. 21.

enim id edoceri studeat is, cui uni mortalium omni-
um corda peruia sunt?)uerū ut nos doceat, quan-
tae sibi curae sit gregis huius praefectura. Id quod
ubi constiterit, & illud item similiter constabit: co-
piosam atq; adeo immensam mercedem illum ex-
pectare, qui consilium, curam, cogitationem atq;
operam in ijs suam ponat, quae quidem magno
apud se in pretio atq; aestimatione Christus Iesus
esse uoluit. Nam si quoties uidemus seruorū pecu-
ariorū ue nostrorum curam à quibusdā suscipi,
ex eo studio aduersus illa impensa colligimus, ab
ijs nos amari (etiamsi illa ipsa eiusmodi esse solent
ut pecunia ueneant) qui neq; pecunia, neq; alia re
ulla, sed morte propria armentum hoc redeme-
rit, suumq; ipsius sanguinem gregis precium ob-
tulerit, quanto, quaeso, premio gregis huius pasto-
res ac rectores remuneraturum olim credimus?
Propterea enim quum respōdisset discipulus: Tu
scis domine quod amem te, testemq; citasset amo-
ris huius, ipsummet qui amaretur: haud se hic con-
tinuit seruator Iesus, sed & amoris insuper indi-
cium adiunxit. Neq; enim tum uolebat testatum
esse, quantum à Petro amaretur: siquidem id mul-
tis nobis argumentis constabat: uerum hoc ille tū
agebat, ut & Petrū & cæteros nos edoceret, quan-
ta beneuolentia ac charitate erga suam ipse eccle-
siam afficeretur: ut hac ratione & nos quoq; eius-
dem ecclesiae studium curamq; toto animo suscipe-
remus. Nam qua de causa filio suo eiq; unigenito
deus Opt. Maximus usque adeo non parcendum
putauit, ut etiam quem unicum haberet, hunc tra-
de

LIBER SECVNDVS.

deret? Certe ut qui in ipsius offensionem incurris-
sent, eos sibi reconciliaret, tum uero peculiarem
selectumq; sibi populum redderet. Quanam item
de causa idem ille sanguinem effudit suum? cer-
te ut pecudes eas acquireret, quas tum Petro,
tum Petri successoribus gubernandas in ma-
num tradidit. Iure igitur ac merito sic loqueba-
tur Christus: Quisnam fidelis seruus & prudens,
quem dominus super familiam suam constituit?
Rursus uerba quidem ista, hæsitantis esse uiden-
tur: quum tamen ab eo prolata sint, qui minime
hæsitaret. Atqui quemadmodum Petrum dum in-
terrogaret, num ab eo amaretur, interrogabat
profecto, non quod ipsi opus esset, ut amorem hu-
iusmodi ex discipuli uerbis intelligeret, sed quod
declarare cuperet quænam censeret deberet nostræ
erga ipsum charitatis dilectionisq; magnitudo:
ita & hic dum ait: Quisnam fidelis seruus & pru-
dens? nõ hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis ac pru-
dens seruus: sed quod exprimere uelit, tum hoc
opus, quàm rarum sit, tum quæ sit functionis hu-
ius amplitudo. Contemplare itaq; & præmium,
quantũ: super omnia inquit, bona sua constituet
eum. Etiã ne nunc nobiscum contendes, fraudẽ
istam tibi non bene ac feliciter cessisse: qui per eã
uniuersis dei Opt. Max. bonis administrandis sis
præficiendus? quum præsertim ea agas, quæ quũ
Petrus faceret, illum Christus autoritate prædi-
tum esse uoluit, ac reliquos item apostolos longe
præcellere. Petre enim, ait, amas me plusquam hi
omnes? Atqui illi quidem licebat uerbis huiusmo-

Mat. 24.

di

DE SACERDOTIO

di Petrum affari: Si me amas Petre, ieiunia exerce, super nudam humum dormi, uigila continenter, iniuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, uiduæ item te maritorum loco habeant, nunc uero prætermisiss omnibus his, quidnā ille ait? Pisce oues meas. Nam quæ modo à me dicta sunt, ea plurimi etiam ex subditis præstare facile possint, non uiri solum, sed etiam fœminæ.

Caput II.

AT quū de ecclesiæ præfectura, de credenda huic uel illi tā multarū aīarum cura agit: uniuerſa quidē muliebris natura functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet, itemq; & bona uirorum pars. Prodeant autem in medium qui longe omnibus præstant, quiq; iſdem animi uirtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem uniuerſam excelluit: seu potius multo etiam magis. Neq; enim hic nobis humerorum excellentia ac proceritatis mensura querenda: Sed quanta inter sese differētia hoīes rōnis usum habentes, & bruta ratione carentia dissidēt: tm̄ sanē discrimen inter eum qui pascit, atq; eos qui pascuntur esse uelim: ut ne maius etiam exigam: Siquidem in multo etiam maiori res ipsa periculo uersatur. Eteḿ qui oues perdiderit, uel lupis rapientibus, uel latronibus adorientibus, uel lue aliqua, aut alio id genus casu sæuiente: fortassis ueniam nonnullam à domino gregis impetret: sin et pœnas ille exiget damnū ipsum non nisi pecunia constat. At uero cui homines ipsi, rationalis Christi grex, concre-

di

LIBER SECVNDVS.

diti sunt, hunc primum ouibus deperditis non pecuniarum, sed animæ proprię iacturã facere oportet: tum uero & certamen longe maius ac multo molestius sustinere. Neq; enim illi aduersus lupos pugna est, neq; à furibus timet, neq; sollicitus anxiusq; est de peste à grege abigenda. Contra quos ergo illi bellũ? quibuscũ luçta? Audi obsecro beatũ Paulũ loquentẽ: Non est uobis luçta aduersus sanguinẽ & carnẽ, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dños, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales malitias in cœlestibus. Vidēs ne terribiles aduersariorũ copias? uides phalanges asperas, non ferro quidẽ circumseptas, sed quibus pro uniuersa armatura ingenium ipsis suum abunde satis est? Vis & aliũ exercitum spectare immanem ac crudelem gregi isti insidiantem. Hunc ipsum tibi de eadem specula spectare licebit. Nam qui de illis quos ante dixi, aduersarijs uerba fecit, hic idem & hos nobis hostes indicat, ita loquens: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: Adulterium scortatio, immūditia, lasciuia, simulacrorum cultus, ueneficiũ, inimicitia, lis, æmulationes, iræ, concertationes, oblocutiones, susurri, animi tumores, & alia his longæ plura: neq; enim omnia annumerauit, sed ex his, nobis cætera reliquit intelligenda. Porro quod ad brutorum pastorem pertinet, qui gregẽ perdere quærunt, ubi uiderint illius præfectum fugæ se mandare, missa aduersus illum pugna, cõtenti sunt ipsarum pecudum raptu. Hic uero ut uniuersum gregem ceperint, ne sic quidem à pastore

Galat. 5

DE SACERDOTIO

Roce manus abstinēt: sed eo magis instant, eo magis ferociunt: neq; certe dimicandi finem prius faciunt, q̄ uel illum supplantarint, uel uictas ipsi manus præbuerint. Adde his q̄d pecuarij morbi aperti sunt ac manifesti, si uel fames sit, uel pestis, si uulnus, si aliud quodcunq; dolorem ægritudinē uerariens: quæ res non modico adiumento esse solent morbis à pecudibus abigendis. Est item & aliud hoc ipso maius, quod quidem præsentaneum affert ægritudini illi remedium. Iam quidnam hoc est? Magna cum autoritate ac licentia pastores pecudes tuas porrectam medicinā capere cogūt: nam & eas uincire procliue, quoties urere, quoties incidere operæpretium: itemq; & diutius asseruare facile, quādocunq; id conducit: & aliud item pro alio pabulum præbere, & arcere à fluentis: præterea cætera omnia quocunq; pastores probauerint pecudum saluti conferre, nullo ipsi negotio, nullo labore adhibere solent. Horum uero morbi principio haud facile sese homini prodūt. Nam quæ intra hominem latent, præter hominis spiritū, qui in ipso est, nemo certe alius intelligit.

1. Corin. 2

Caput III.

Qui igitur pharmacum adhibere quis possit morbo ei, cuius speciem nequaquam intelligat? quum etiam persæpe usuueniat, ut ne intelligere quidem possit, morbus subsit nec ne: qui ubi sese prodidit, tibi tum maius negocium facessit. Neq; enim homini licet tanta cum licentia homines curare, cum quanta oues pastor curat. Hic enim liberum est & uincire, & à pabulo arcere, & urere

LIBER SECVNDVS.

urere, & secare: quum illic medicinæ accuratio-
 nis suscipiendæ facultas posita minime sit in illo
 qui medicinam adhibet, sed in eo tantum qui la-
 borat. Hoc enim admirandus ille uir quum animad-
 uerteret, sic Corinthios alloquitur: Non quod do-
 minemur uobis nomine fidei, sed adiutores sum⁹
 gaudij uestri. Christianis enim imprimis minime
 licet uim in corrigendo afferre. Porro exteri qui-
 dem iudices, quum facinorosos homines leges trās-
 gressos fuisse deprehenderint, magna se præditos
 autoritate ac potestate ostendunt, eosdemq; uel
 inuitos, suos ipsorum mores mutare cogunt. Hic
 uero non uim afferre, sed suadere tñ oportet, atq;
 hac ratione meliorem efficere, quem emendan-
 dum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta
 à legibus data ad delinquentes coercēdos: ac ne
 si dedissent quidem haberemus ubi uim huiusmo-
 di potētiamq; exercere possemus, quum Christus
 eos æterna corona donet: non qui coacti, sed qui
 certo animi proposito à peccato abstinent. Quam
 ob rem multo quidem arte opus est, ut qui labo-
 rant Christiani ultro sibi ipsi persuadeant, sacer-
 dotum curatiōibus sese submittere optere: neq; id
 solū, sed ut etiā curationis ac medicinę noīe gratiā
 illis habeāt. Nam siue q; uinctus illigatusq; est cō-
 tumaciter restiterit, id aut p se ipse pōt, malū cer-
 te exasperat grauiusq; reddit: siue admonēris uer-
 ba ferri mō secātia neglectim trāsmiserit, nimirū
 aliud sibi uuln⁹ contēptui infert: usq; adeo ut cura-
 tiōis illi⁹ p̄textus grauioris morbi causa fiat. Neq;
 em̄ ē, q; hic uim afferat, nec q; curare inuitū possit.

2. Cor. 1

Ca

DE SACERDOTIO

Caput III.

Quid igitur facias? Etenim si blādus eum tractes, cuius affectum corpus sectione, eaq; magna indiget: ac nisi altam inflixeris plagā ei, qui ea opus habet: nimirū fiet ut uulnus ipsum partim sit resectum, partim relictum. Rursum si nulla ex parte parcere uolens, debitam adhibueris sectionem: fiet sæpe ut animum ille doloris impatientia despondens, atq; adeo omnia simul detrectans, tum pharmacum, tum uinculum, se ipse præcipitem ferat, contrito iugo, ac confracto laqueo. Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud nisi quod digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset exigeretur. Neq; enim temere ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere: sed tanquam cōiecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus: ne qua fiat ut dum consuere uis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias: ac dum eum qui lapsus est erigere atq; emēdare studes, casus ipse maior per te reddatur. Nam qui infirmi sunt ac remissi, & magna ex pte mundi huius delicijs illecebrisq; illaqueati, quiq; iñdem à generis claritate, à potentia atq; opibus habere se putant unde animos magnopere tollant: ñ si sensim atq; paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint utiq; si nō penitus, attamen parte aliqua eximere se ac liberare à malis peccatisq; ipsos occupantibus: quos si iusta statim animaduersione emendes, fiet ut minori etiam illa correctione, quam sustinere poterant

rant

LIBER SECVNDVS.

rant, priues. Humanus enim animus posteaquam uercundia fines semel transire coactus est, in indolentiam dilabatur: ac postmodum neque blandis uerbis paret, neque minis flectitur, neque beneficijs mouetur, malitiam etiam superans ciuitatis illius in quam propheta conuictijs huiusmodi insurgerebat: Factus est tibi meretricius aspectus, depudit te aduersus omnes. Quocirca multa quidem opus est pastori prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis, ut recte undique humani animi habitum circumspicere possit. Nam sicut aliquoties usuuenit, ut animum plerique despondeant, atque in suae salutis prouant desperationem, non ob aliud nisi quod ab amaris acerbisque medicamentis abhorreant: ita nonnullos reperias, qui hoc ipso quod poenas peccatis suis pares non luerint, in negligentiam ac contemptum dilabantur, ac longe deteriores facti, maiorem peccandi licentiam sibi uendicent. Itaque nihil horum relinquendum est, quod probe non excutiat atque examinet episcopus: quin omnia accurate ac studiose perscrutatum tum demum illum oportet sua ipsius remedia congrue, apte, accommodate afferre. Idque ne operam forte ludat. Caeterum non ijs solum quae dixi, uerum etiam in abscissis ecclesiae membris committendis coniungendisque multis illum negotijs distringi uideas. Iam ouium pastor gregem habet e uestigio subsequentem, quacumque praeterit: quod si quae de recta uia oues deflectant, ac feraci pabulo posthabito, sterilia atque abrupta loca depascant: satis habet pastor altius aliquantum inclamare, ut pa-

C lan-

DE SACERDOTIO

lantes ac dispersas reducat, atq; in gregem cogat. Sin uero à recto Christianæ fidei tramite aberrauerit quis, hic pastori magnum certe opus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia. Neq; enim uis illi inferenda, neq; terrore ille cogendus, uerum suadendus tantum, ut de integro ad ueritatem redeat, unde initio dilapsus est. Itaq; magnū ac generosum animum ad eam rem episcopum afferre oportet, ut ne animo deficiat ac delascetur, ut ne errantium salutem despondeat ac desperet: denique ut nunq̄ illud secum cogitet ac dicat:

a. Tim. 2. Si quando det illis deus ueritatis agnitionem, ac resipiscāt è diaboli laqueo. Propter hoc ipsum dominus quum discipulos alloqueretur, ait: Quisnā fidelis seruus ac prudens? Etenim qui suum unius animum excolit, sibi duntaxat utilis est: cæterum pastoralis functionis lucrum ad uniuersum populum manat: & qui pecuniam indigētibus erogat, aut qui a liq; iniuria pressos subleuat, is & proximos quidem iuuat. Atqui id tanto minus præstat quàm episcopus, quanto dissidēt inter se interuallo corpus atq; anima. Non ab re igitur dominus Iesus pastoris studium aduersus gregem impensum, amoris ac charitatis erga se symbolum esse dixit. Tu uero, inquit, ô Chrysofome, Christum non amas? Et amo, inquam, & amare certe nunquam desistam: cæterum uereor ne quem amo, eū irritem. Hoc uero inquit, ænigmate quodnam aliud obscurius esse queat, si Christus illū à quo amatur oues suas pascere iussit: tu autem hoc nomine nolle pascere affirmes, quod eundē illum qui hoc iusse

Basilius.

Chryso.

Basilius.

LIBER SECVNDVS.

iufferit ames? Non est, inquam ego, sermo hic eni-
 gma, quinimo ualde apertus & simplex. Nam si
 par atq; idoneus administrando muneri isti, iuxta
 id quod Christo placitum est, nihilo secius tamen
 munus ipsum detrectassem, hæsitare quidem ad
 uerba mea conueniret: postea uero quàm me ad
 functionis istius præstationem, animi huius imbe-
 cillitas minus idoneum reddidit: quis hic questio-
 ni dubitationiue locus? Etenim uereor, ne si pro-
 uinciã sumpsero administrãdi Christi armentũ iã
 ualẽs ac uegetũ, deinde illud idẽ socordia negligẽ-
 tiaq; mea depraua uero, eũ cõtra me iritem, qui sic
 armentum id dilexit, ut seipsum ob illius salutẽ ac
 p̃cium tradiderit. Ioco hæc, inqt ille, loqueris: nã
 si extra iocum, equidem non uideo quibusnam ali-
 is melius argumentis à te demonstrari potuerit,
 iusto nos dolore uexari, quàm istis tuis uerbis qui-
 bus tamen ab animo meo mœstitiam hanc depel-
 lere studiose adlaborasti. Antea enim quum no-
 uissem me à te deceptum ac proditum, nunc autẽ
 id longe etiam apertius, dum tu obiecta tibi cri-
 mina diluere aggressus es, equidem bellissime hic
 capio atq; intelligo, quò me tãdem malorum ade-
 geris. Nam si te hoc demum nomine à functione
 huiusmodi summouisti, quod intelligeres animi
 istius facultates nequaquam pares rei ipsius mo-
 li sustinendæ, me sanè prius exemptum esse oport-
 uit, etiamsi id muneris summo studio ambiuis-
 sem: ut si leam hic rei totius consilium curamq; ti-
 bi à me fuisse commissam. Enimuero tu tuis unius
 partibus prospiciẽs, nostras planè neglexisti. Atq;

Chryso-
stomus.

Basilius.

C e uti

DE SACERDOTIO

utinam neglexisses tantum, mecum enim uel hac ratione præclare exactum existimassem. At uero & tu quoque autor consultorque eius artis fuisti, qua facile in hostium nos captantium manus incideremus. Neque enim possis ad id effugij te conferre quod tibi uidelicet uulgi opinio fucū fecerit, atque hinc adductus sis, ut magna quædam atque admiranda de nobis conciperes: utpote cui is certe non essem, quæ tu admirandos, insignes, atque excellentes uiros poneres. Neque tamen si ita se res habuisset, uulgi opinionem ueritati præpositam esse oportuit. Nam si tibi nunquam antea per nos licuisset, ut consuetudinis nostræ periculum faceres haberes certe, unde honestum sumeres prætextum, in hoc quod in suffragio isto ferendo uulgarem famam fueris secutus: sin nemo omnium est, qui res nostras omnes notiores habeat, quam ipse habeas, eousque ut animus hic uni tibi magis spectatus perspectusque sit, quam ijs qui me uel genuere uel educauere: quæ tandem oratio sic probabilis usurpari à te possit, ut persuadere auditoribus queas, me abs te ultro in periculum hoc nequaquam fuisse coniectum? Verum prætermittantur & hæc modo, neque enim cogimus, ut tu horum nomine causam dicas, tantum effare, quam defensione apud eos utamur qui nos infimulant. Ego uero, inquam, non antea ad illa me conuertam, quam diluero quæ ad te spectant, etiamsi nos millicies uelis criminibus huiusmodi per te liberos esse. Iam ignorantiam dixisti ueniam nobis impetrare posse, nosque nulli prorsus criminatiōi obnoxios fore, si

Chryso-
stomus.

LIBER SECVNDVS.

si in rerum tuarum omnium ignoratione uersantes, te in presentem rerum statum deduxissemus. Cætetum quoniam te non ignoratione prodidimus, sed quum maxime res omnes tuæ cognitæ nobis essent, propterea uis excusationem omnem, quæ ratione niti ipsa posset, defensionemq; quam libet iustam sublatam præreptamq; nobis esse. At nobis tamen contraria sententia. Huiusmodi enim res magno admodum iudicio quidem meo, examine indiget: eumq; oportet qui exhibiturus sit quem ad episcopatus functionem idoneum censeat, non uulgarem tantum famam atq; opinionem sequi, eaq; esse contentum: sed eundem item necesse est unam cum ea, illius uires facultatesq; in primis excutere atq; ante omnia examinare. Nam quum beatus ille Paulus ea de re differens ait: Oportet autem illum et bonum habere ab extremis testimonium, nequaquam tollit exactam exploratamq; indagacionem: neq; sanè fidem eam quæ tibi à uulgi opinione facta sit, ut præcipuum signum, aut rei totius cardinè esse uult: quippe multa prius quum differuisset, id postea adiunxit: ostendere uolens non satis hoc esse oportere ad huiusmodi electiones creationesq; faciendas, sed unam cum alijs & hoc item præsidij à nobis assumendum esse. Nam sæpe usuuenit, ut uulgi opinio falsa sit, à qua tamen nihil periculi exoriri possit, si res ipsa tota per te prius exacte ac diligenter discussa atq; exanimata fuerit. Quocirca post alia, illud ipse de testimonio ab externis posuit. Neq; enim simpliciter hoc dixit: Oportet autem illum & bonum

Tim. 3

1. Corin. 3

C 3 ha



DE SACERDOTIO

Basiliius.

habere testimonium: sed illud etiam ab æternis, attexuit: planum facere uolens, futurum episcopū intrinsecus magna cum diligentia excutiendum atq; examinandum, antequam ad eam opinionē deicendas, quā de eo uulgus conceperit. Itaq; qđ uita ipsa tua ac mores magis mihi, id qđ tute profiteris, noti spectatiq; sint q̄ parentibus ipsis tuis, ob id dignus sim, qui ab omni criminatione liberer. Vel hoc nomine, inquit ille, hoc certe nomine clabi atq; euadere nequaquam possis, si te quis accusare atq; in iudiciū trahere uelit. Cap. V.

**Chryso-
stomus.**

AN non ipse meministi à nobis audire, id qđ & sæpenumero re ipsa cōprobaſti, animus hic quā parum fortis generosusq; esset? an nō propterea ppetuis istis cauillis pusillanimitatē nobis obiecisti, qđ uidelicet natura nra curis etiā leuibus facile succūbamus? Memini, inquā, huiusmodi quidē ex te uerba sæpenumero audire: neq; ibo inficias. Ego uero si qñ cauillabar, ioco, non serio id factitabā. Mihi tñ hic ea de re tecum contēdere non est animus. Postulo autem à te eandem mihi ut tu æquanimitatem præstes, bonorum uirtutumq; quibus animus iste præditus est memoriā inferre aggredienti. Nam si tū conaberis mēdaciū nos conuincere, equidem nihil dissimulans liquido commonstrabo, modestiæ potius istius quā ueritatis causa, sic te de te uerba facere. Id quod non alijs argumentis comprobaturus sum, quā nudis tum uerbis, tum factis istis, quibus ego perinde atque certissimis testibus utar, ad plenam dictorum meorum fidem faciēdam. Atq; id ex te in primis

mis

LIBER SECVNDVS.

mis quærere uolo. Nostin charitatis uis quanta sit? Certe Christus reliquis alijs prodigijs ac miraculis post habitis, quæ ab apostolis edenda essent. In hoc inquit, cognoscent homines, quod discipuli mei sitis, si charitatem inter uos mutuam habueritis. Quinetiam Paulus charitatē legis esse consummationem affirmat, sine qua gratiarū dono nulli esse usui uult. Proinde eximium istud bonum, idemq; Christi apostolorum signum unicum, ac quod quidem cæteris gratiarum donis superius excellentiusq; est, scio in animo tuo generose admodum ac præclare insitū esse, copiosoq; inibi exuberare. Tum Basilius: Quod mihi, inquit, magnæ ea res curæ sit, quodq; eiusdem studiosus apprime sim, liceat & mihi quoque fateri: uerum qd ne dimidia qdē parte, illius numeros cōpleuerim, uel tu ad eam rē testis mihi optimus fueris, siquidem quod uerum est spectare magis, quàm quæ ad gratiam faciunt loqui proposueris.

Ioan. 13.

Rom. 13.

Basilius.

Caput VI.

ERgo ad argumenta ipsa, inquam, me conuertā, atque hic certe qd interminatus sum exequar, facta per me fide, te animi istius modestiam magis quàm rei ueritatem sequi. Proferam autem historiam admodum recentem, ut ne quis suspicari possit, uetera recensentem, temporis diuturnitate uerum ipsum tanquam adumbrare me uelle, quum alioqui etiam ueritas minime permittat quicquam nos affingere uel ijs ipsis quæ ad gratiam prolata à nobis fuerint. Nam quo tēpore unus quidam ex amicis necessarijsq; nostris

Chryso-
stomus.

C 4 per

DE SACERDOTIO

per calumniam accusatus contumeliæ, ac contēptus, de salute periclitaretur: hic te ipse, quū neq̄ infimularet quisquā, neq̄ is q̄ periclitaretur auxiliū tuum imploraret, in media ipsa pericula ultro coniecisti. Ac factum quidem tale tuum extitit. Ut autem te uerbis etiam tuis conuincamus, quum animi istius propensionem huiusmodi alij non probassent, alij cōtra laudassent admiratiōq̄ fuissent, hic tu ad eos q̄ te accusarent dixisti: Quid nam ipse facerem? aliter enim amare non didici, nisi ut & meā ipsius animam in discrimē adducā, dum periclitātem amicum aliquem seruare opus est, diuersis quidem uerbis, at sensu eodem, ea enūciās, quibus Christus discipulos alloquebatur, positus ab eo perfectæ charitatis terminis. Maiorem enim, inquit, hac charitatem nemo habet, quā ut animam suam ponat pro amicis suis. Igitur si maiorem hac inuenire non est, ad ipsius finem peruenisti, atq̄ adeo tum uerbis, tum etiam factis istis ad ipsius uerticem conscēdisti. Propter quod unū te ipsi, dolo illo à nobis consuto, prodidimus. Etiā ne igitur tibi persuasum est, te à nobis in istud stadium protractum, neq̄ ulla maleuolentia erga te nostra, neq̄ quo te in periculum aliquod conijceremus? quin potius id à nobis factum, quod certū nobis esset, quā utiliter ac commodus futurus esses. Itāne, inquit, charitatis uim sufficere putas ad proximorum correctionem atq̄ emēdationem? Maxime quidem, inquam, ac magna adeo ex parte ad id conferre charitas possit. Cæterum si meuis & prudentiæ item istius specimina proferre,

en:

Ioan. 15.

Basilius.
Chryso-
stomus.

LIBER SECVNDVS.

en ad id me accingam, ostendamq; maiori te prudentia quàm charitate ac beneuolentia præditū. Ad hæc ille uerecundia tactus, ruboreq; suffusus: Quæ ad me, inquit, spectant, nunc omittantur: neq; enim iam inde ab initio horum rationem à te exigimus. Tu uero si quid habes, quod iuste alijs opponere possis, lubēs eos sermōes auscultabo. Itaq; prætermissa hac umbratili pugna, edoce quidnā cæteris respondere possimus, hoc est tum ijs qui nos tali honore dignati sunt, tum ijs qui uicem illorum tanquam iniuria à nobis affectorum dolēt.

Basilius.

Caput VII.

Equidem ad id, inq; , iam festino: Nam quidē tibi iam expediui facti erga te mei rationem, facile ad Apologiæ istius partem me conuertam. Ecquam igitur super hisce accusationem, ecquas illi criminationes afferunt? Grauem se uidelicet iniuriam à nobis accepisse quæruntur, qd quem nobis illi honorem deferebant, eum deprecati simus. Ego uero illud in primis dico: Nullam nos rationem habere oportere iniurię per nos hominibus illatę, quoties per delatum eis honorem, Dei Opt. offensionem subire cogimur, quum ijs etiam qui se iniuriam huiusmodi accepisse ægre ferunt, boni eam non cōsulentes, hoc certe ipsum, quod boni scilicet non consulāt, ne à periculo quidem alienum sit, uerum in primis dispendiosum ac detrimentosum. Decere enim existimo illorū animos qui Deo Opt. dicati sunt, quiq; in illum unum intuentur, tanta religiōe affici, ut ne id quidem iniuriæ loco habeant, etiamsi abs te ijdem cō-

Chryso-
stomus

C 5 tume:

DE SACERDOTIO

tum eius mille affecti sint. At uero quod huiusmodi audacia, ne in huius quidem animi cogitatione descenderit, constare illinc potest. Nam si contumacia, fastu, atque ambitione, ut tute sæpenumero affirmasti multos calūniari, ad id deductus sum, certe nihil prohibeat quin hominis maxime iniuriam notam subeam, ijs sic per me contemptis, qui præterquam quod magna atque admirabili uirtute clarent, de me quoque sunt bene meriti. Etenim si in eos animaduertere debemus, qui iniuriam ijs inferunt à quibus nulla ipsi iniuria lacescit: quanto, quanto honore digni esse possunt, qui nobis ex se ultro honorem aliquem deferre proposuerint? Neque enim hoc dicere quis possit, illos beneficio à me uel tenui uel magno affectos, meritorum acceptorum uicem rependere uoluisse. Quodnam igitur supplicium non mereatur, si quis contrarijs factis repenset? Sin autem id ne cogitauimus quidem, ceterum longe alio consilio grauem istam sarcinam detrectauimus: quorsum prætermissa facti nostri condonatione ac uenia, si probare id ipsi factum nolint, criminantur insimulantes, quod nostræ ipsorum animæ pepercerimus? Tantum enim abest, ut illam à me iniuriam acceperint, ut eos etiam honore affectos dicere possim recusatione hac nostra. Neque uero mirum id tibi esse debet quod dixi, perinde quasi dictum id sit præter cõm hominũ sensum. Nam de eo quod tibi mox satisfecerimus. Tum enim si minus omnes, certe qui maledicentia delictantur, potuissent plerumque tum suspicari, tum eloqui, partim de me electo, partim de illis eligentibus.

Verbi

LIBER SECVNDVS.

Verbi gratia, quod diuitias illi solas spectent, quod generis splendorem admirētur, quod à nobis adulatione uicti eum nobis honorē mandassent. Nam quod & pecunia adducti, corruptique, dicere non habeo, si quis & hoc ipsum suspicetur. Præterea, Christus quidē piscatores, tabernaculorumque tendendorum artifices, itemque publicanos ad huiusmodi principatum aduocauit, hi autem eos respiciunt, despiciuntque qui sibi quotidiano opere uictū parant: sin uero quis peregrinas literas attigerit, atque in ocio uitam tranfigat, hunc ipsum admittunt probant, admirantur. Nam quo nomine eos qui sudores propemodum infinitos sustinere, dū ecclesiæ utiles esse student, contempserunt: at eum, qui nihil unquam sudorum illorum gustauerit, totam uero ætatem in futili, atque inutili externorum studiorū labore insumpserit, de repente in tam sublimē honorem traxere? Hęc, quę dixi, atque adeo plura dicere illis licuisset, si huiusmodi honor à nobis fuisset susceptus: id quod illis mō in contrariū euenit, ut quibus maledicentiæ occasio oīs præcisata sit: neque iam mihi adulationē, neque illis sordes, ac corruptelā obijcere possunt, nisi si qui forte erunt, qui mere insanire uolēt. Nā quod adulatione, largitione uel honorē aliquē candidatus ambierit, hic quare eum tum quū suscipere oporteat, alijs suscipiendū ipse relinquat? Id enim perinde fuerit, ac si quis laboribus multis in excolenda terra impensis ut segetē copiosam nouales reportent, ac uino lacus exundet, post sudores infinitos, post multū pecunię sumptum, cū messis ac uindemię tempus appetit, tum

alijs

DE SACERDOTIO

alijs fructuum illorum prouentum fruendum relinquat. Intelligis ne Basilium calumniari illos uolentibus occasionem haudquaquam fuisse futuram, etiã si longe à ueritate alienam, quod uide licet facta ab illis de nobis electio à recto animi iudicio nata nequaquam fuisset? qui tamen nunc ne hiscere quidem, aut labia tantum diducere per me possunt. At tales quidem initio illorum extitissent sermones, seu etiam his, quos dixi, plures additi. Cæterum posteaquam muneris functionem ipsam attigissemus, nullæ certe illorum defensiones criminationibus quotidie exorientibus pares esse potuissent, etiam si à nobis omnia inculpate administrata fuissent: ne dicam necessario futurum fuisse, ut partim ministerij imperitia, partim ætatis huius uitio in multis aberraremus. Nunc uero eisdem criminationis huius occasionem sustulimus, tum autem futurum erat, ut probris ipsos innumeris obnoxios redderemus. Quotusquisque enim non fuisset id conquestus? Pueris insipientibus res tam miras, tamque magnas crediderunt. De praua uerunt dei Opt. gregem. Ludicræ iam ac deridiculæ factæ sunt res Christianæ. At uero nunc quotquot ubique existunt iniqui atque improbi, sibi ipsi os obturabunt: qui si propter te ista protulerint, è uestigio eos re ipsa edocebis, non oportere prudentiam ætate metiri, neque senem canitie probare, neque iuuenem arcendum ab huiusmodi ministerio, sed neophytum nouitiumque. Maximum autem inter utrunque discrimen.

LIBRI .II. FINIS.

HAEC

H A E C I N . I I I . L I B . I N S V N T .

Cap. 1.

Quoniam qui suspicati sunt nos per superbi-
am declinasse hoc officium, æstimationem suam
uulnerauerint.

Cap. 2.

Quando propter gloriam uanam fecerimus.

Cap. 3.

Quod si gloriam concupisceremus, oportuit
nos eligere tale ministerium.

Cap. 4.

Quia metuenda sit necessitas sacerdotij, quæ
in nouo testamento multo est horribilior, quam
in ueteri fuit.

Cap. 5.

Quod magna sit p̄s & dignitas sacerdotũ.

Cap. 6.

Quam magnorum dei munerum sit minister
sacerdos.

Cap. 7.

Quod ipse beatus Paulus se insufficientem pu-
tabat, ad magnitudinẽ tanti aspiciẽs principatus.

Cap. 8.

Quod in multis peccare cogatur, qui in mediũ
adducitur, nisi fortis fuerit animi, atq; diligentis.

Cap. 9.

Qualis elationis sit tibi grandis occasio.

Cap. 10.

Quod non ipsum sacerdotium horum malo-
rũ causa sit, sed uniuscuiusq; ignauia delinquẽtis.

Cap.

Cap. 11.

Quod oporteat cupiditatem amoris primatus
ac dominationis expellere à se animū sacerdotis.

Cap. 12.

Quod sapiētissimum oporteat esse sacerdotē.

Cap. 13.

Quod super maximam abstinētiā alia quę-
rantur ab animo sacerdotis.

Cap. 14.

Quod nihil tam puritatem & aciem mentis ob-
tundat, ut iracundia inordinata.

Cap. 15.

Aliam speciem litis, plenam periculorum bea-
tus Ioannes Chrysostomus ostendit.

Cap. 16.

Aestimatio, quantum esse oporteat illum, qui
tantis tempestatibus oppouendus fit.

Cap. 17.

Quantus fit in gubernatione uirginū timor.

DE IOAN-

NIS CHRYSOSTOMI DE SA

cerdotio liber tertius eodem

interprete.

CAPVT I.

IAM quod ad eam iniuriam pertinet, qua
eos à me affectos fuisse dicis, qui me coho-
nestarunt, quodq; nullo eos dehonestandi
consilio hanc ipse fugam adornaui, af-
fer-

LIBER TERTIVS.

ferri quidem à nobis ea possent, quæ ipsi diximus. Cæterum quod nullo etiam fastidio, nulla contumacia inflati: id ipsum quoque nunc pro uiribus tibi planum facere annitar. Etenim si nobis uel imperij militaris, uel regni etiã proposita fuisset optio, potuisset quis id merito de me suspicari, si modo eandem hanc sententiam secutus fuissem, quàm hic secutus sum: uel ut uerius dicam, tum sanè nullus fastidij ac contumaciæ insimulasset, amentia uero ac stultitiæ nemo non damnasset. Atqui sacerdotij optione proposita, quod quidem regno tanto est excellentius, quantum spiritus & carnis interuallum esse potest sustinebit ne quisnam contemptus, ac fastidij nos accersere? Qui uero id nõ absurdum? eos qui prouincias paruas respuunt, ut deliros incusare? at eos qui hoc idem in maxime excellentibus factitant, liberare quidem amentia ei imine, insolentia autem, ac superbia reos agere? perinde quasi si quis eum, qui bouillum armentum despiceret, quicquid armentarius esse recusaret, animi quidem insolentia nequaquam præditum esse, mentis autem alienatione prorsus laborare criminaretur? Ei uero, qui orbis uniuersi regnum deprecaretur, neque pateretur exercituum ubiuis terrarum instructorum imperium ad se deferri, pro amentia crimine, fastus tantum atque insolentia crimen impingeret? Sed non est ita non est ita: neque certe nos magis quam se ipsos incusant, quæ ista afferunt. Nam uel cogitasse tantum, fieri posse, ut tanta illa sacerdotij dignitas ingenio sit humano despiciabilis, id nimirum contra eos ipsos, qui sermones
hu

DE SACERDOTIO

huiusmodi usurpant: indicium argumentumque esse
se possit opinionis eius, quam iidem de re, qua de
agitur, concipiunt. Nam nisi sacerdotium inter res
uiles modicique precij ponerent, ne ista quidem sus-
picio sese in animos ipsorum insinuasset. Cur enim
de angelica dignitate nullus unquam inuentus est,
qui tale quid sustineret suspicari, ac pronunciare,
humanum ingenium praefactu, ac contumacia ad
naturae angelicae honorem, dignitatemque non aspi-
rare? Nempe magna quidem ea sunt, quae animo
concipimus de potestatibus illis: atque id ipsum ue-
tat, ut credamus licere homini maiorem illa di-
gnitatem animo concipere: quo fit ut consentane-
um magis sit, si quis in illos, fastus ac contumaciae
crimen id torqueat, quod in nos impingunt ipsi.
Neque enim id de alijs suspicati fuissent, nisi rem
Cap. II ipsam prius dānassent, ac nihil aestimassent. Por-
rò si id me dicent gloriae atque ambitionis nomine
commisisse, iidem sibi ipsis non constare, imò pu-
gnantia loqui aperte coarguentur. Neque enim ui-
deo quamnam aliam orationem quaesiuissent, si nos
inanis gloriae criminibus liberare uoluissent. Nā
si in animum forte meum laudis amor huiusmo-
di inuasisset, amplecti potius munus illud oportu-
it, quam auersari: quid ita? Nempe quod ea res
magnae nobis gloriae, magno honori futura fuis-
set. Hominem enim hoc aetatis natum, quique idem
haud ita pridem uitae huius curis se abdicasset,
derepente in tantam hominum admirationem ue-
nisse, ut ijs etiam, qui in laboribus huiusmodi oem
aetatem consumpsissent, anteponeretur, & plura
illis

LIBER TERTIVS.

Illis suffragia reportaret, id nimirum neminē non attraxisset in magnam aliquam, atq; admirandā nostri opinionem: tum uero nobis passim uenerationē, illustremq; nominis huius gloriā conciliafset: ubi me nunc dēptis paucis, ecclesiæ bona pars ne de noīe quidē norūt. Quā obrē ne omībus quidē innotescet deprecātū me fuisse qd offerebat: sed paucis quibusdā, q̄s paucos ne oēs quidē ipsos rē, ut se habet resciscere opinor. Consentaneū em̄ est ex ijs etiā cōplures, aut existimare nullā prorsus de nobis electionē factā, aut ab electione nos reieciisse, ut q̄ haud satis idonei uideremur: nō etiā nos ultro id functionis deuitasse. At uero, inqt: quibus rei cōperta ē ueritas, demirabunt. Cap. III. Basilius.

AT qui, inquam ego, hos ipsos Basili dixisti ambitionis mihi atque insolentiæ crimen impingere: undenam ergo laudem sperare licet? à multis? Si nesciunt illi rem ut se habet. At uero à paucioribus? Verum & hic nobis res in contrariū recidit. Neq; enim alio nomine huc introisti, quam ut edocereris, qua aduersum illos defensione uti posses. At quorsum horum gratia hic tantopere disceptamus? Quod enim, si uel omnibus res ea innotuisset, ne sic quidem aut insolētes, aut ambitiosi iudicandi essemus, paulisper sustineto, idēq; aperte intelliges: Itemq; illud, quod non ijs solum qui hoc audentiæ sibi sumunt, si modo quisquam existit mortalium talis, nā existere haudquaquam credo, sed ijs etiam qui id de alijs suspicantur, periculum imminet non mediocre.

Caput III.

D Etenim

Chryso-
stomus.

DE SACERDOTIO

ET enim sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, cæterum in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. Atque id perquam merito, quippe non mortalis quisquam, non angelus, non archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem istum disposuit: qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus autor fuit, ut angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est sacerdotem tanta esse uitæ sanctimonia purum, ut si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas uirtutes medius staret. Terribilia namque atque horrifca fuisse ferunt, quæ gratiæ tempus præcesserunt: quod genus fuere, tintinnabula, mala punica, lapides pectori sacerdotis, itemque alij humeris eiusdem superpositi, mitra, strophium, uestis ad pedes usque demissa, lamina aurea, sancta sanctorum, ingens intus quies, atque silentium. At uero si quis ea ipsa, quæ gratiæ tempus nobis aduexit, examinet, terribilia atque horrifca quæ dixi iudicabit esse admodum leuia, ac quod de lege à Paulo dictum est, hic demum uerum esse comperiet, quandoquidem neglorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam. Nam dum conspicias dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces desuper fundentem, tum uero turbam circumfusam precioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiã ne te inter mortales uersari, atque in terra consistere censes? an non potius euestigio in cælos transfereris? an non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, men

2. Cor. 3

LIBER TERTIVS.

mente pura circunspicis quæ in cælo sunt? papæ quæ
 magnum hoc miraculum? quàm magna dei erga
 humanum genus beneuolentia? En qui cum pa-
 tre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo
 omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit
 uolentibus ipsum excipere ac complecti. Fit autē
 id nullis præstigijs, sed apertis, ac circunspicienti-
 bus circunfistentium omnium oculis. Nunquid ista
 tibi digna contemptu ac despectu esse uidentur?
 aut eiusmodi, ut possit quis contra ea attolli atque
 insurgere? Vis ne & sanctimonix istius excellen-
 tiam alio miraculo perspicere? Ponito ob oculos
 Heliam illum, præterea & infinitam illam turbam
 circumfusam, & sacrificium lapidibus superposi-
 tum, tum uero reliquos omnes admodum quie-
 tos ac taciturnos, solum autem prophetam pre-
 ces fundentem, secundum id flammam de repen-
 te e cælo delabentem, sacrificiumque ipsum lamben-
 tem: mira sunt ista profecto ac stupore omni ple-
 na. Ab illis ergo sacris ad nostratia sacra te trans-
 fer: & ea non mira modo esse uidebis, sed etiam
 omnem stuporem excedentia. En astat pontifex,
 non ignem gestans, sed spiritum sanctum: is pre-
 ces diuturnas fundit, non quo flamma cælitus di-
 lapsa, sacra apposita absumat, sed quo gratia in sa-
 crificium influens, per illud ipsum omnium ani-
 mos inflammet, & puriores reddat argento igni
 excocto, purgatoque. Hoc ergo mysterium omnium
 maxime horrendum, uerendumque quis non insa-
 nus, ac qui idem mente alienata nequaquam sic
 fastidire, atque despiciere poterit? An ne ignoras fu-

D a turū

DE SACERDOTIO

turum nunquam fuisse, ut humanus animi captus sacrificij ignem illum sustineret: sed fundit⁹ omnes tum fuisse interituros, nisi magnum diuinæ gratiæ auxilium affuisset?

Caput V.

Nam si quis consideret quantum id sit mysterium, ut is scilicet qui homo ipse sit carne ac sanguine etiamnum cōstans, ijsq; inuolutus, beatæ atq; immortalis nature illi fieri propior queat, tum probe intelliget quanto sacerdotes honore, quanta dignitate spiritus sancti gratia dignata fuerit: operantibus enim illis, tum sacra hæc, quæ dico, inicianur, perficiunturq;: tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis, salutisq; nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt atq; in ea uersantur, ijs commissum est ut ea quæ in cælis sunt, dispensent, ijs datum est ut potestatem habeant, quã deus Opt. neq; angelis, neq; archangelis datam esse uoluit, neq; enim ad illos dictum est, quæcunq; alligaueris in terra erunt alligata & in cælo, & quæcunq; solueris in terra erunt soluta & in cælo: habent quidem & terrestres principes uinculi potestatem, uerum corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum uinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pertingit: usque adeo ut quæcunq; inferne sacerdotes confecerint, illa eadem deus superne rata habeat, ac seruorum sententiam dominus confirmet. Iam quid ipsum hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à deo concessam? quoruncunq; em̄,
ait,

Matth. 16
& 18.

LIBER TERTIVS.

ait, peccata remiseritis, remittuntur: quoruncun-
retinueritis, retenta sunt. Cedo: quænam potestas
hac una maior esse queat? Pater omnifariam filio
potestatem dedit. Cæterum uideo ipsam eandem
omnifariam potestatem à filio illis traditã. Nam
ut iam in cælum translati, ac supra humanam na-
turã positi, atq; adeo morbis, affectibusq; nostris
liberi affecti, ita demum illi in principatum istum
perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis si cui ex
subditis suis honorem hunc impertitus fuerit, ut
potestatem habeat quoscunque uelit in carcerem
conijciendi, eosdemq; rursus relaxandi: is nimirũ
beatus & admirandus iudicio omnium fuerit, at-
uero qui à deo tãto maiorem accepit potestatem,
quanto cælum terra preciosius est, quanto etiam
animæ corporibus præstant, hic itã ne uilem à deo
dignitatem accepisse nõnullis uideri debet, ut uel
in illorum cogitationem descendere queat, re-
periri quandoq; posse unum aliquem ex eorum
numero, quibus tanta illa quæ paulo ante dixi, fu-
erint à deo concedita, cui ipsi munus suum for-
descat? quiq; donum sibi à deo datum despiciat?
Procul, procul hinc faceffat huiusmodi insania. In-
sania enim manifestaria, despiciere tantum istum
principatum, sine quo neque salutis, neq; promif-
forum bonorum compotes fieri possumus. Nam
si non potest quis in regnum cælorum ingredi, ni- Ioan. 3
si per aquam & spiritum regeneratus fuerit: & Ioan. 6.
qui non manducat carnem domini, & sanguinem
eius non bibit, æterna uita priuatur: omnia autẽ
hæc haud aliter quàm per sacrosanctas illas ma-

DE SACERDOTIO

nus perficiuntur, manus inquam, sacerdotum: quæ fiet ut citra illarum opem aut gehennæ ignem evitare quis possit: aut repositæ in cælo coronæ præmia assequi. Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tum concreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à deo est cõmissus, per hos ipsos Christum induimus, unà cum dei filio sepelimur: beatæ carnis illius mēbra efficimur, quo nomine sacerdotes ipsos merito non modo plus uereri debemus, quàm uel principes uel reges, uerum etiam maiori honore quàm parentes ipsos honestare. Hi enim ex sanguinibus, & uoluntate carnis geniti sunt: at illi autores nobis sunt natiuitatis eius quam à deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis ueræ, atq; adeo adoptionis eius, qua nos per gratiam filij dei sumus effecti.

Caput VI.

Corporis lepram purgare, seu ut uerius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quãto cum studio, ac cõcertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur? At uero nostris sacerdotibus non corporis lepram, uerum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est: quare iudicio quidem meo qui istos despiciunt, cõtemnuntq; multo sceleratiores, ac maiori supplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan. Ille enim tametsi principatum ad se non spectantem sibi uendicabat, tamen miram quandam de eo principatu opinionem animo conceperat. Id quod

LIBER TERTIUS.

quod declarauit ingens rei concupitæ studium. Hi autem tum quum iam sacerdotalis honos incrementum, ornatum, præstantiam magnam accepit, contra quàm ille, sed tamen multo maiora audent. Neq; enim perinde est ad despicientiæ rationem subducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot, tantaq; bona fastidire: uerum facinus hoc tanto est illo grauius, quanto inter sese dissident interuallo fastidium, & admiratio: quis ergo tã infelici genio natus, qui tanta bona fastidiat? Equidem neminem existere talem dixerim: nisi si quis furiarum œstro percitus sit. Sed enim eò iam se oratio nostra referat, unde digressa est. Neq; enim in puniendo solum, sed & in benemerendo maiorem deus potestatem sacerdotibus largitus est, quàm naturalibus nostris parentibus: inter quos utrosq; tantum est sanè interiectum interuallum, quantum inter uitam præsentem, & æternam. Parentes enim nos in præsentem, sacerdotes in uitam æternam generant. Atq; illi certe ne corporalem quidẽ interitum à se amoliri possunt, neq; ingruentem morbum propulsare: quum hi laborantem ac morti iamiam propinquam animam identidem seruarint, alijs remissiores poenam infligentes: alios ne initio quidem labi permittentes, non doctrinæ solum, atq; commonitionis, sed etiam precum præsidio. Neq; enim solum quum nos regenerant, sed postmodum etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter uos aliquis, accersat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum un-

D 4 guẽ

DE SACERDOTIO

guentes eum oleo in nomine domini, & obsecratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Proinde naturales parentes, si eorum liberi principes quosdam, magnatesue offenderint, opẽ certe illis nullam afferre possunt, quum sacerdotes non principes, non reges, sed ipsum deum nobis infensum sæpenumero concilient. Nos igitur sustinebit ne adhuc quisquam fastidij atq; arrogantia reos agere? Equidem ex ijs quæ de me dicta sunt, auditorum mentes tanta puto religione occupatas, ut non iam eos qui fugiunt, sed eos qui per se accedunt, honoremq; istum ultro sibi ambiunt, contumaciae, temeritatis, atq; audaciae accusent. Nam si usuuenit ut quibus ciuitatum principatus concreditus est, ij nisi ualde prudentes pariter ac uigilantes fuerint, tum ciuitates ipsas evertant, tum se ipsos perditum eant: quanta illum uirtute non sua tantum unius, sed & caelesti praeditum esse conuenit, cui sorte obtigit, ut Christi sponsam colat, ornetq;: si modo peccandi occasionem uitare is uelit.

Caput VII.

Christum nemo est qui Paulo uehementius dilexerit: nemo qui deo gratiosior quam Paulus fuerit: tamen post tot priuilegia à deo accepta ueretur adhuc ac tremat, principatus istius subditorumq; suorum gratia. Metuo enim, inquit, ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decipit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate quæ erat in uobis erga Christum

2. Cor. II

ac rur

LIBER TERTIVS.

ac rursus: In timore ac tremore multo uobiscum
 uersatus sum. Atq; hæc quidem dicit homo is, cui 1. Corin. 2^a
 à deo datum fuit, ut in tertium usq; cælum rapere
 tur, ac diuinorum arcanorum particeps fieret, qui
 idem totidē, ut sic dixerim, mortes pertulit, quot
 ipse dies post fidem Christo datam uixit: qui item
 idem, ne concessa quidem à deo potestate utendū
 sibi ubiq; iudicauit, ut ne quis eorum qui fidem su-
 am Christo obstrinxissent offenderetur. Si igitur
 Paulus dei mandata sic obseruans, ut maiora etiā
 quàm ipsi à deo iniuncta fuissent, præstaret, nun-
 quam suo ipsius, sed subditorum tantum commo-
 do studens, sic ubiq; formidauit, magistratus sui
 molem expendens: quid faciemus ipsi, qui multi
 ubiq; sumus in quærendis, quæ nostra sunt? qui
 Christi mandata Pauli exemplo non solum non
 superamus, sed ea maiori quidem ex parte trans-
 gredimur: Quis infirmatur, inquit ille, & ego nō 2. Cor. 11^a
 infirmor? quis offenditur & ego non uror? Eiusce
 modi sanè cōuenit episcopum, sacerdotemq; esse:
 quinimo nō eiusmodi tantum, parua enim sunt
 ista, ac certe nulla præ eo, quod ipse sum dicturus:
 hoc autem quid nam esse potest? Optarim inquit, Roma. 9^a
 anathema esse à Christo pro fratribus meis, pro
 cognatis meis secundum carnem: quod si quis exi-
 stit, qui uocem hanc obsecrans enunciare possit,
 is demum dignus quidem est qui, si episcopi mu-
 nus detrectet, insimuletur: sin à Pauli uirtutibus
 illis pari nobiscum interuallo distat, is nimirum
 odium, ac uituperationem meretur, quum munus
 ipsum delatum amplectitur: nō quum detrectat.

D 5 Neq;

DE SACERDOTIO

Nec enim, proposita militaris dignitatis electione, si in quibus provincia ea demandata foret, fabrico aërio, aut cerdoni, aut cuiquam id genus opificum in medium tracto, honorem huiusmodi ad illum deferrent, laudarent utique miseri ac stolidi illius consilium, qui oblatum munus non statim detrectaret, omniaque faceret, ut ne se ipse in praesens conijceret periculum. Nam si id unum satis sit, pastorem simpliciter uocari, & provincia ista utcumque defungi: nec ullum prorsus inde periculum exoriri possit, equidem nihil moror quin me, quisquis uolet, inanis gloriae studiosum appellet: sin uero rara prudentia, rara item à deo Opt. data gratia, quae prudentiam etiam ipsam praecedat, praeterea si morum integritate, si uitae puritate, denique si maiori quam pro humano captu uirtute praeditum eum esse oportet, qui administrationis istius curam in se suscipit, ne me uenia priuatum per te uelis, si frustra ac temere uitae mihi meae perniciem accersere noluerim. Etenim si nauem quis agens amplissimam: & quae decem milia pondus ferat, quaeque eadem remigibus suis sit instructa, ac sumptuosarum mercium pondere onerata, me ad illius gubernacula collocatum iuberet Aegaeum Tyrrhenumque mare transire, nimirum fieret, ut ad primam statim audititionem mandatum id detrectarem: ac me si quis interrogaret: quid ita? ne nauem submergam, utique responderem. Ita ne, si diuis placet, ubi pecuniae tantum iactura subest, nec nisi corporis interitus periclitatur, nemo est qui incuset, reprehendatque, si quis magna
cau

LIBER TERTIVS.

cautione, prouidentiaq; hic utatur.

Caput VIII.

AT uero ubi nauem frangentibus, nō in hoc uel illud pelagus, sed in ignis æterni abyssum corruendum est: ubi item eosdem naufragos interitus manet: nō qui corpus ab anima dirimit, sed qui animam ipsam unā cū corpore in sempiternum exigit supplicium, hic mihi uos succensebitis: hic mihi odium, inimicitiasq; preferetis, si me ipse temere in tantam non cōiecerim perniciem? Ne, obsecro atq; obtestor, committere id uelitis. Noui profecto animi huius uires quā sunt infirmæ atq; exiguæ, noui quanta sit functionis illius moles, noui quā ingens negotij ipsius difficultas. Fluctus enim episcopi animum concutientes uentis mare identidem conturbantibus, crebriores, infestioresq; esse solent.

Caput IX.

AG primum quidem omnium occurrit pestilentissimus inanis gloriæ scopulus: longe ijs infestior, q̄s poëtæ prodigiose effingunt. Hunc tametsi compluribus licuit saluis præternauigare, atq; incolumibus effugere: mihi tamen sic molestus est, ut ne nūc quidem, quum nulla me in uoraginem illam impellit necessitas, facere possim, ut prorsus hac noxa uacem. Quod mihi si quis prouinciam magistratus istius imponat, quid aliud quā manibus his post tergum tantum non reuinctis, beluis scopulum illum insidentibus, in dies singulos lacerandum me tradat? beluæ uero quæ nā tandem illæ? Animi tū citatio, tū remissio,
inui

DE SACERDOTIO

inuidentia, contentio, calumniæ, excandescentiæ
in minime noxios: delectationes natæ ex ministe-
rio inepte atq; indecenter ab alijs administrato:
dolor si cui forte muneris sui functio prospere ces-
serit, laudum appetentia: honoris desiderium: qd
ipsum in primis hominis animum præcipitem fer-
ri cogit: doctrina uoluptatem, non etiam utilitatē
captans: illiberales adulationes: palpationes mi-
nime generosæ: pauperum despicientiæ: diuitum
cultus: honores nulla ratione impensi: gratiarum
munerūque largitiones damnosæ, periculum pa-
rientes tam largientibus, quàm accipientibus: ti-
mor seruilis, ac non nisi pessimis quibusq; manci-
pijs conueniens: extincta libere loquendi facul-
tas: modestiæ animi species quidem multa, ueri-
tas autem nulla: coarguendi, atq; increpandi pro-
cul reiecta fiducia, seu ut uere dicam, contra ino-
pes, increpatio modum nullum seruans: at contra
eos qui potentia aliqua præditi sunt, ne diducere
quidem labia quisquam audet. Has enim omnes,
atq; his longe etiam plures feras noxias scopulus
ille nutrit, à quibus quidē homines semel captos
in tantam profecto seruitutē distrahi necesse est,
ut sæpe etiam plæraq; dum mulieribus placere,
atq; obsecundare student, necessario committant,
quæ ne eloqui quidem honestum. Eas quidem di-
uina lex ab hoc ministerio remotas esse uoluit. Il-
le uero ui facta intro irrumpunt: quæ quandoqui-
dem per se nihil ipsæ possunt, per alios omnia fa-
ctitant, ac tantam sibi uendicant potestatem, ut
quoscunq; ille episcopos uelint, & adlegēt et sum-
mo

LIBER TERTIVS.

moucant. Fitq; tandem per eas, ut quod est in ue-
teri prouerbio, sursum ac deorsum sese habeant
res: ac principes suos subditi ipsi agant: atq; uti-
nam id tantum uiri factitarent non etiam eæ, qui-
bus ne docere quidem permissum est. Sed quid di-
co docere? certe ne in ecclesia quidem fari beatus
Paulus permisit. At memini sanè ex quodam me
audire, quod & tantam ipsis impertisset libertatē,
ut & ecclesiarū præfides obiurgarent, illosq; acer-
bius incesserent, quàm serui à dominis suis inces-
santur?

Caput X.

CAeterum nolim ut quisquam existimet epi-
scopos omneis à me criminum eorum, que
dixi reos factos: sunt enim, sunt, inquam, permul-
ti, q; sese ab ijs retribus probe extricarūt: atq; adeo
plures ijs, qui se capi atque intra ea inuolui passi
sunt. Neq; tamen ob id sacerdotalem ipsam digni-
tatē malorū istorū autorē fecerim. Absit enim tā-
ta in me insania: neque enim ferrum, cædis: neque
uinum, ebrietatis: neque robur, contumeliæ: neq;
fortitudinem, inconsideratæ audaciæ: sed eos po-
tius qui præterquam deceat donis à deo datis abu-
tuntur, quisquis sana mente fuerit autores esse di-
cet, punietq;: quandoquidem & sacerdotium meri-
to nobiscum exostulare possit, si ipsum non rite
atq; ordine pertractemus, administremusq;, neq;
illi accepta referre debemus mala ea, quæ modo
connumeravi. Verum illud potius quantum in no-
bis fuit, conspurcauimus, atq; coinquinauimus, ho-
minibus quibuslibet illius administrationē in ma-
num

DE SACERDOTIO

num tradentes: qui quidem neque uiribus suis ipsorum prius consultis, neque considerata rei magnitudine, obuijs statim uicinis munus oblatum amplectuntur. Quum autem euentum est ut negotiorum actioni manus ipsi admoliantur, nimirum incitiae caligine occupari calamitatibus infinitis populos fidei suae cōcreditos replent. Hoc ipsum, hoc ipsum certe est, quod nostra aetate propemodum accidisse uidimus, nisi nos repente deus e periculis illis asseruisset, partim suae ipsius ecclesiae, partim animarum nostrarum saluti culpam eam condonans. Alioquin unde nam quaeso existimas tam multas in ecclesijs turbas nasci? Equidem non aliunde opinor, quam ex episcoporum, antistitumque electionibus casu potius ac temere, quam diligenter atque accurate factis. Nam caput ualentissimum quidem esse oportet, ut prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispensare, easdemque rite, atque ordine componere possit: quum enim per se caput infirmum est, ac fumorum insultus illos morbificos repellere minime potens, tum fit ut ipsum etiam infirmius, in dies reddatur, itemque & reliquum corpus secum perdat. Id quod ut ne modo accideret, uoluit deus, ut nos loco & numero pedestri quem fors nostra initio tulerat permaneremus. Multa enim alia sunt Basili, praeter ea quae iam a nobis dicta sunt, quae sacerdotem praestare oportet, ac quae certe in nobis non agnoscimus. Inter quae illud praecipuum. Sacerdotis animum honoris illius desiderio undecumque uacare, undecumque liberum esse oportet. Nam
si ad

LIBER TERTIVS.

si ad eum principatum adipiscendum uehementi
 animi affectu rapietur, eo adepto impotētiorem
 sanè ambitionis suæ flammam incendet, ac ui tan-
 dem captus ut sibi adeptum honorem stabiliat,
 nulli non peccato seruiet, seu adulandum, seu ser-
 uile quid, atq; indignum sustinendum, seu res ma-
 gno pecuniæ sumptu tentanda. Nam quod non-
 nulli cædibus ecclesias compleuerint, contamina-
 rintq;: quodq; iidem eius honoris gratia depugnā-
 tes ciuitates aliquot fundit⁹ euerterint, dicere hic
 præmitto: ne quibusdam uidear ea in medium
 afferre, quæ fide maiora sunt. Oportere autem pu-
 to tanta cum religione, ac cautione ad rem ipsam
 aspirare, ut illius molem, magnitudinemq; primū
 detrectes: deinde adepto honore aliorum iudi-
 cia sententiasq; non expectes, si quod forte com-
 missum deprehendatur, propter quod oporteat
 te honorem illum deponere: quin potius illis ante-
 uertens te ipse munere abdicēs. Sic enim par est
 ut diuinam concilies, impetresq; misericordiam:
 qui si tibi honorem illum præter decorum tan-
 quam mordicus retinere studetis, indignus es, qui
 ueniam consequaris: tum uero diuinam iram ma-
 gis ac magis incendes, altero peccato, & eo graui-
 ore per te addito. At uero constantiam hanc præ-
 stare nullus sustinuerit. Tam pestilens, tamq; leta-
 le est appetentiæ istius uirus. Neque id dico, cum
 B. Paulo pugnare uolens, quinimo ut maxime
 cum illius uerbis consentiam: ea uero cuiusmodi
 sunt? Si quis episcopi munus appetit, honestum
 opus desiderat. At ego non operis ipsius, sed dñā-
 tionis

1. Tim. 3

tionis

DE SACERDOTIO

tionis, ac potentia desiderium pestilens esse dixit.

Caput XI.

ATque hoc ipse desiderium sic toto studio ab animo abijciendum esse censeo, ut ne in initio quidem animum ipsum permittas ab illo occupari, ut is rerum oim libere agendarum potestatem habeat. Nam quem nulla cupiditas trahit, ut sese in eo munere collocatum ostendet, ac tanquam digito ab alijs monstretur, is certe ab eo solio deturbari non formidat. Porro aut qui id non formidat, hic cum ea libertate qua Christianas mentes decet, omnia exequi potuerit, dura enim & acerba atque adeo multis referta incommodis illorum est seruitus, qui honoris huiusmodi iacturam reformidant, ob quam saepenumero fit, ut dei Opt. offensionem subire cogantur: decet autem affectus nostros tales non esse. Sed quemadmodum in praelijs uidemus generosissimos quosque milites alacriter manum cum hoste conserere, eosdemque si ita res ferat, fortiter occumbere: ita oportere puto animatos esse qui ad ministerij istius functionem se conferunt: uidelicet ut uere Christianos uiros decet, & consecrari & summoueri iuxta parati sint: quum intelligant summotionem priuationemque huiusmodi non inferius praemium afferre solere, quam honor ipse afferat. Nam quoties tale aliquid cuiquam euenerit, dum ea non uult sustinere, qua indecora, ac muneris sui dignitate minime conuenientia putat, fit ut & illis, qui ipsum iniuste summouerint, grauius supplicium, & sibi copiosiore mercedem postmodum paret. Beati enim, inquit, estis, quum

LIBER TERTIVS.

quum probra iecerint in uos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cælis: & hæc certe ipsa tanto magis locum habent, quoties à socijs ac conuictoribus, aut per inuidiam, aut dum alijs placere illi student, aut per similitatem, atq; inimicitias iniuste quis loco suo depellitur. Nam quoties id te aduersarijs pati contigerit, ne oratione quidem opus esse puto ad lucrum id demonstrandum, quod illi malitia sua tibi acquirunt. Illud igitur oportet undecunq; circumspicere, ac diligenter perscrutari, nec ubi desiderij illius scintilla aliqua ardens lateat. Præclare enim actum fuerit uel cū eis qui iã inde ab initio ab hoc morbo liberos sese esse student, si ad honorem istum quum peruenerint, tum demum effugere morbum eum possint: quod si quis existet qui honore illo nondum adepto atrocem hanc atq; efferam beluam secum enutriet, uerbis assequi nō possim in quantum perniciem accepto honore præceps iturus sit. Nos autem (ac ne me rerum nostrarum attenuandarum studio hic apud te falsa loqui uelle putet) cupiditatis, desiderijq; istius morbo admodū laboramus: quæ res unã cum alijs omnibus nos ipsos non parum exterruit, atque in fugam hanc uertit. Nam quemadmodum qui corporum amore capti sunt, donec propinquos eos habent quos amant, grauius quidem morbi sui tormentum uimq; sustinent: quum autem quamlongissime se ab illorum conspectu abduxerint, tum furorem

E ipsum

DE SACERDOTIO

ipsum ab animo excutiūt: sic & qui honoris istius quem dico cupiditate titillātur, dum propius ad- sunt, malo ferendo impares sunt: cæterum quum sese illinc summouerint, honorēq; desperauerint, fit ut desiderium unā cum expectatione extin- guant. Porrò una hæc causa non mediocris est, quę si uel sola existeret, idonea certe esset quę nos à munere isto arceret. Verum & alia quædam subest hac ipsa nequaquā inferior.

Caput XII.

AT quænam tandem ea est? Sobrium mode- stumq; episcopum esse oportet: eundemq; perspicacem, atq; innumeros quoquouersus ocu- los circumferre: quippe qui non sibi uni tantum, sed & tam multis uiuat populis. Cæterum quod nos segnes simus ac remissi, ac uix nostrę ipsorum saluti sufficiētes, uel tute fateare, qui amoris abun- dantia quadam, uitia, si qua in nobis sunt, dissimu- lare studes. Absit enim, ut mihi hic iactes uel ieu- nia, uel noctes insomnes, uel corpus humi decuba- re assuetum, uel si qua alia est corporis indurati af- flictio. Nam tibi satis innotuit quantū ab his uir- tutibus absimus, quas ut nos etiam exacte atque absolute præstiterimus, ne sic quidem possent cū huius animi segnitie coniunctæ nobis ad præfe- cturæ illius quam dico administrationem obeun- dam præsidij quicquam afferre. Homini enim in cubiculum aliquod incluso, ac suarum tantum re- rum sollicito, magnum res eæ aduentum afferre possint: cæterū ei, qui in tot populos scissus est, ac q; curas sollicitudinesq; suas in subditos suos sin- gulos

LIBER TERTIVS.

gulos partitur, non uideo quid idonei adiumenti ad illorum profectum conferre possint, nisi idem acrem, fortissimumq; animum nactus sit.

Caput XIII.

NEq; sanè mirum tibi esse debet, si unà cum tanta tolerantia, alia quadam fortitudine episcopi animum spectatum esse uolo. Nam cibū, potum, ac stratum item molle contemnere, multis ne labori quidem id esse uidemus, ijs presertim qui natura agrestiores sunt, quiq; per ætatis uigorem ita sunt educati, ac multis item alijs, aliàs corporis habitudine, aliàs etiam ipsa assuetudine laborum illorum asperitatem molliente, mitigãteq;. Ceterum contumeliam, uim, incommodum, molestum aliquod uerbum, tum uero scommata ab inferioribus nonnunquam leuiter, atq; impræmeditate, nonnunquam etiam reddendo iure contorta, præterea & quærelas temere ac nulla causa tum à principibus, tum à subditis natas, non multorum est ferre posse, sed unius tantum, & alterius. Ac uidere sanè est eos, qui animi uirtutibus illis plurimum possunt, ad hæc tanta ueluti animi uertigine laborare, ut uel immanissimis beluis facilius exasperentur. Huiusmodi autem ingenio præditi homines ab episcopatus cancellis, à sacerdotij claustris procul arcendi sint. Nam episcopum inedia minime cruciari extenuariue, itemq; eundem nudis pedibus non ingredi: id certe nihil incommodabit ecclesiæ uniuersitati: at uero agrestioris animi ferocitas, furorq; tum domino possessoriq; suo, tum etiam proximo ingenriū

E 2 cala



DE SACERDOTIO

calamitatum autor sepe fuit. Atque ijs certe, qui uirtutes illas non praestant, nulla à deo comminatio: at temere excandescantibus gehennam ac gehennae flammam aeternam deus comminatus est. Ac quemadmodum fit, ut qui inanis gloriae titillatione mouetur, si quando populi principatum obtineat, materiam igni accenso subministret: sic qui solitudini assuetus, uel in paucorum hominum consuetudine, animi sui irae imperare non potest, quinimo per facile ab ea transuersus agitur: is, si popularem ei magistratum credas, instar ferae alicuius à multis undecumque extimulatae, neque quieto unquam animo esse queat, & commissos sibi populos in infinita mala, atque incommoda distrahat.

Caput XIII.

Nihil enim sic ingenij perspicuitate, nihil sic mentis aciem hebetat ut ira, nullum ordinem seruans & quam animi impetus uehemens pariat. Ira enim, inquit ille, & prudentes perdit, quasi enim in nocturna pugna aliqua obtenebratus animi oculus, non internoscit amicos ab aduersarijs, neque ignobiles à claris, sed omnes simul uno loco habet, & si iactura etiam aliqua, calamitasque subeunda fit, facile sustinet, ut animi uoluptatem impleat satietque: est enim etiam quaedam uoluptas, irae excandescencia: cuius tyrannis humanum animum ubi possedit, uoluptatis tyrannide crudelior truculentiorque est, uniuersum illius statum, sursum ac deorsum conturbans, incolumitatemque excarnificans. Nam & ad arrogantiam, fastumque facile impellit, & similitates intempestiuas, & odium

nil

LIBER TERTIVS.

nulla ratione subortum, & offensiones leuiter ac
 temere natas assidue parat: & multa id genus alia
 tum uerbis, tum factis ui aggreditur: quum ani-
 mus interim clam uehementi morbi illius flatu
 raptus non habeat ubi suam ipsius uim affirmans
 tanto impetui resistat. Tum Basilius: At te ego,
 inquit, non amplius dissimulantē hic patiar. Quis
 enim nescit quantum ipse ab hoc morbo sis alie-
 nus? Cur me igitur, inquam, optime Basili uis flā-
 mæ atq; incendio admotum esse? cur tu item be-
 luam quiescentem irritare pergis? An ignoras id
 nobis non nostra uirtute successisse? sed potius ex
 solitaria ac quietæ tantum uitæ cultu, ac studio?
 Cum eo autem qui ad animi morbum huiusmo-
 di propensior sit, præclare sanè actum fuerit, si so-
 litariam uitam secutus, uniusq; & alterius amici
 usu delectatus, possit excandescentiæ incendium
 illud deuitare, ut ne dicā cogi illum, alioqui in tā
 multarum curarum altissimum pelagus præcipi-
 tem ruere. Tum enim non seipsum solum, sed &
 alios complures secum ad interitus præcipitium
 pertrahit, redditq; minus animatos ad humanita-
 tis facilitatisq; studia excolenda: quando sic natu-
 ra comparatum esse uidemus, ut subditorum mul-
 titudo magna quidem ex parte principum suorū
 mores tanquam exemplarem quandam imaginē
 spectent, scq; ad illos formare studeant. Qui ergo
 fieri possit, ut illorum tumores, & inflammatio-
 nes sedet is qui ipse intumescat? Quis uero plebe-
 ius uir concupiscat statim temperans modera-
 tusq; fieri, principem intuitus iracundum? Neque

Basilius.

Chryso-
stomus.

E a enim



DE SACERDOTIO

enim possunt episcoporum uitia dissimulari, sed uel confestim parua atq; exigua manifesta fiunt. Quando & athleta tantisper dum domi se continet, ac cum nemine manus conferit, imbecillitatē infirmitatēq; suam occultare alijs potest: ubi uero nudato corpore in harenam decertaturus descenderit, tum facile apparet, quid ille possit. Eadem ratiōe qui priuatam hanc & quietam uitam uiuunt homines, solitudinem habent suorum uitorum tanquam uelamen quoddam: ijdem rursus quum in medium prodierint, solitudinem illā, sic ut uestem exuere, ac per externos aduentitiosq; motus, suos ipsorū animos omnibus nudos exhibere coguntur. Quemadmodum ergo illorū officia rectiq; mores multos iuuant, hortanturq; ad studij eiusdē æmulationem: ita & uitia ad uirtutis cultum segniores reddunt, præstantq; ut cæterorum animi ad bonorum operum labores capeffendos torpescant. Quam ob rem sacerdotis animi pulchritudinem undiq; splendescere oportet, ut oblectare pariter et illustrare possit eorum animos, qui suos in illum oculos conijciunt. Nam uulgarium hominum delicta, ueluti in tenebris commissa, autores suos solos perdunt. Cæterum hominis illustris, & uulgo cogniti delictum commune omnibus adfert, quum eos, qui ad uirtutis capeffendæ sudores remissi sint, supiniores etiamnum reddens: tum eos, qui sibiipsis attēdere, ac uirtuti acquirendæ aduigilare uolunt, ad desperationem iritans. Præterea ignobilium delicta, si in mediū prodierint, neminē insigniter uulnerant

LIBER TERTIVS.

nerāt: at q̄ in istius dignitatis fastigio positi sunt, primū nemini nō noti manifestiq; sunt, tum uero si uel tantillum peccauerint, parua illorum peccata alijs magna uidentur. Neq; enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum pleriq; omnes metiuntur. Ac certe episcopum cōuenit & studio acri, & perpetua uitæ continentia tanquam adamantinis armis circūseptū, quoquo uersus circunspicere, necubi nudo quis aut neglecto loco deprehenso letale uulnus adferat: circumsistunt enim cæteri parati ut uulnerent, ac si liceat supplantent, neq; ij ex hostium atq; aduersariorū numero, sed ex ijs, q̄ se amicos esse adsimulāt. Episcoporū ergo animi tales eligantur, qualia olim in Babylonia fornace sanctorū illorū corpora diuinæ gratiæ largitas exhibuit. Neq; em̄ ignis eius, qui episcoporū animos depascit, alimēta sunt samentū, pix, stupa: sed alia quædā lōge his inferiora, q̄n̄ ne ignis quidē sensibile illud elemētum hic substernit, sed pro igne episcopū circūlambit uoracissima inuidiæ flamma, undecunq; se attollens, atq; adeo uitam illius ac mores altius subiēs, scrutans, probans, q̄ ignis ille Babylonijs puerorum illorū corpora probauerit. Quoties igitur repere rit uel tenue aliquod stipulæ uestigium, celeriter admota partem illam debilem, ac uitiatā exurit: tum uero reliquam structuram, etiam si ea solarijs radijs radiantior lucidiorq; fuerit, fumo illo inuoluit, totāq; denigrat. Quandiu em̄ sacerdotis uita pulchre undiq; congruens, concinnataq; fuerit, nullę illi aduersariorū insidiæ nocere possunt,

E & qui

DE SACERDOTIO

qui simul atq; uel tantillum officij recti prætermi-
serit, ut par est nõnunquam prætermittere eum,
qui homo quidem ipse sit, quiq; humanæ uitæ ple-
num erroribus pelagus traiciat, iam illum nihil
anteactæ uitæ honestas adiuuat, ad incusantium
uoces effugiendas: quinimo leue illud commissum,
reliquæ illius uitæ luminibus officit: ac certe sic sa-
cerdoti omnes iudices esse uolunt, ut carne nequa-
quam composito, ut humanam naturam non sor-
tito, uerum ut angelo, ut humanæ infirmitatis mi-
nime participi. Porro quemadmodum tyrannū
aliquem, donec imperio potitur, reformidant,
eiq; adulantur omnes: non ob aliud, nisi quod illū
tyrannide deturbare non possunt: quum autem il-
li res in contrarium cedere uiderint, hic relicto
honore illo simulato, qui haud ita pridem amici
erant, fiunt de repente hostes, atq; aduersarij, ac ui-
tias infirmasq; in illo partes rimati, per quas ui-
delicet illum facilius adoriantur, impressione fa-
cta imperio depellere conantur: sic qui episcopos
pauloante, ac dum magistratu potirentur reuere-
bantur, colebantq;, n occasione nacta per exigua
magno sese studio accingunt, ut episcopum infe-
stius etiam quàm tyrannum imperio depellant,
atq; ut tyrannus corporis sui custodes timet: sic
sacerdos eos quos sibi propinquos, collegasq; ha-
bet, maxime omnium reformidat: nulli enim alij
perinde illius magistratum affectant, eiusdemq;
res omnes notas habent atq; illi: propinqui enim
ac familiares quum sint, si quid tale acciderit con-
tinuo persentiunt, ac facile illis etiam calumnian-
tibus

LIBER TERTIVS.

tibus fides adhibetur, possuntq; illi haud ita magno negotio calumnijs suis circumuentum episcopum capere, illius errata, quantumlibet leuia, aggrauantes. Qua in parte apostolicum illud dictū immutatum est, siue patitur unum membrū, gaudent omnia membra, seu glorificatur unum membrum, simul patiuntur omnia membra: nisi si forte multam quandam pietatem, ac religionem episcopus praestiterit, quam aduersus illa omnia opponere queat. In tantum igitur bellum nos emitis? & aduersus pugnam tam uariam, tamq; multiformem animum nostrum sufficere posse existimas? Vnde nam quaeso & à quo id edoctus es? nā si caelitus id tibi innotuit, oraculum ipsum mihi indica, & tibi iam acquiesco. Sin id non potes, uerum ex hominum opinione de hac re pronuncias, ab isto tandem errore animum libera. In ijs enim quæ ad nos spectant, par est ut nostrum potius, quàm aliorum sequamur iudicium: Quæ em̄ in homine sunt nullus nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Nam quod tum nos ipsos, tum eos à quibus electi ipsi sumus, ridiculos fecissemus, illo ipso per nos munere suscepto, ac magno item cum nostro dispendio ad uitæ conditionem hanc, quam hodie quoq; tuemur, reuertissemus, si minus antehac, nunc certe per hæc me uerba persuasisse puto. Neq; enim inuidia solum, sed & quæ inuidia longe infestior est, principatus huius affectatio, complures armare solet aduersus eum, qui principatum ipsum occupat. Ac quemadmodum qui principatum affectant filij, molesto animo in

i. Cor. 12.

E 5 tuen

tuentur longam patrum suorum senectutem: sic ex his nonnulli, quum uiderint futurum, ut episcopus ad longum aliquod tempus dignitatis suę munere fungatur, quādoquidem interficere nephas, deturbare illum imperio satagunt: omnes in deturbati locum suffici cupientes, ac singuli honorē illum ad se deferri expectantes.

V Caput XV.

Is & aliud tibi pugnae huius genus aperiā periculis mille plenum? Ito hinc iam, ac publica festa spectato, ea, inquam, in quibus dignitatum ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis uidebis inibi criminationibus lacerari episcopum, quāta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est, hos omnes tum in multas factiones scindi, neq; inter seipso consentire, neq; cum eo cui sorte episcopatus delatus sit conuenire uideas, sed unusquisq; a suis unius partibus stat, alius hunc, alius illum eligens. Cuius rei causa hæc est, quod id unum non spectant, quod solum spectandum fuerat, nempe animi uirtutem, sed aliæ sunt causæ quibus honoris conciliatur: uerbi gratia: hic, quod claro genere natus sit, in episcopatus, inquit, ordinem cooptetur. Ille, quod opibus abundet, neq; indigeat alimentis ex ecclesiæ prouentibus quæsitis, alius quod ab aduersarijs ad nos transfugerit: alius sibi genere propinquum, ac necessarium: alius adulatorē cæteris antepone re mauult: nemo est, qui cum qui idoneus sit, spectare uelit, aut animi partes explorare curet. Ego uero tantum absum, ut causas hu
ius

LIBER TERTIVS.

iussmodi idoneas esse putem, ut fiat explorati episcopi fides, ut si quis etiam magnam perpetua uita religionem, pietatemque præstiterit, quæ ipsa tamen non paruum ad id adfert præsidium, ne hunc quidem huius nomine adlegere statim audeam, nisi idem magnam etiam animi prudentiam cum religione huiusmodi coniunctam habeat. Nam multos ipse noui, qui sese perpetua continentia cohibuissent, ac quorum corpora ieiunijs multis exhausta fuissent, donec solitariam uitam agere, ac suas duntaxat res curare licebat, deo maxime acceptos fuisse, eisdemque in dies singulos acceptæ illi philosophiæ auctarium non paruum adiecisse: postea uero quàm in hominum lucem euenerunt, uulgi inscitiam emendare coacti, alij ne initio quidem muneri illi administrando pares fuere, alij in eo ipso munere perseuerare dum cogerentur, pristina uitæ cura atque austeritate procul excussa, tum sibi detrimento maximo, tum alijs nulli prorsus usui fuere. Neque uero si quis uitæ tempus perpetuum in extrema sacrarum functionum classe persistens consumpserit, ac sic demum ad ultimam usque ætatem peruenerit, hunc protinus propter ætatis reuerentiam ad summum honorem perducemus. Quid enim uetat, quo minus ille idem uel id ætatis natus, minus idoneus reperiri adhuc possit? quod tamen sic à me dictum non est, quasi uelim canitiem uituperare, uel statuere posita hic per me lege, eos, qui è monachorum sodalitijs prodire, ab huiusmodi præfectura arcendos prorsus esse: contigit enim aliquoties, ut ex eo grege

com

DE SACERDOTIO

complures ad id muneris pertracti, uitæ candore in primis elucescerent. Verum illud eo nomine dixi, ut ostendam, si neq; religio per se ipsa, neq; senectus longæua satis esse possunt, ut eum qui episcopatum obtinuerit, munere illo dignum efficiant, certe uix hoc ipsum causas eas, quas paulo ante commemorauimus, efficere posse, quibus causis nonnulli etiam absurdiores alias adiungunt. Etenim alij quosdam, ut ne aduersariorum partes sequantur, in cleri ordinem recēsent: alij propter malitiam, ne contempti scilicet luculentorum malorū postmodum autores fiant. Potest ne quicquam hoc ipso iniquius esse? quum uidelicet homines peruersos, malis flagitijsq; omnibus abundantes propter hæc coli ab alijs uidemus, ob quæ puniri ipsi deberent? eosdemq; quarum rerum nomine ne ecclesiæ quidem limē introire oporteret, uel ad episcopalem dignitatem ascendere? Etiā ne, cedo, quæremus diuinæ in nos iræ causas, quum nos mysteria tam sancta, tamq; horrēda hominibus partim flagitiosis, partim nihili labefactanda tradamus? Quum enim alij prouinciæ ad se minime pertinentis, alij multo etiam maioris quàm propriæ patiantur uires, præfecturam sortiti fuerint, ij certe efficiunt, ut ecclesia dei nihil ab Euripo differre uideatur. Equidē principes externos antea ob id ipsum ridebam, quod honores præfecturasq; distribuere non animorum uirtutis, sed pecuniarum rationem habentes: atq; ut alij alijs uel annorum multitudine, uel dignitatum gradibus iam antecedant, ita demum eos ulterius promouētes.

Poste

LIBER TERTIVS.

Posteaquam uero audiui indignitatē hanc in nostrum etiam ordinem quodammodo debacchatā irrepsisse, facinus huiusmodi mihi nō perinde graue uisum est. Qui enim mirum fuerit homines rerum humanarum cultui deditos, popularem tantum auram uenantes, pecunię causa nihil non agētes, in huiusmodi uitia prolabi, ubi qui se puros esse ab ijs omnibus uitijs simulāt, illis nihilo sese melius animo affectos ostendunt: quinimo rerum cælestium certamen suscipientes, perinde atque si de terrę iugeribus, aut alia id genus re deliberarent, gregarios quosdam homines temere assumptos, rebus ijs præficiunt, quarum nomine & gloriam suam exinanire, & homo fieri, & serui formam accipere, & conspui, & colaphis cædi, & morte ignominiosissima occumbere secundum carnem, unigenitus dei filius non deprecatus est? Neq; isti tamen intra hos fines se continent, sed & alia addūt absurdiora. Neq; enim immeritos solum adlegūt, uerum & idoneos eijciunt. Nam quemadmodum conueniret utrinq; ecclesię firmitudinem labefactari, ac causa illa prior nō sufficeret ad diuinam iram accendendam, ita illi alteram nihilo deterio-rem coniunxerunt. Etenim iuxta ego pestilens esse reor, utiles arcere, & inutiles intrmittere. Id quod ab illis certe fit, ut Christianum armentum nulla ex parte aut consolationem inuenire, aut respirare ualeat. Hęc igitur nōne millies dei fulmē merētur, nōne digna sunt quę gehennę, nō illius quā nobis sacrę literę nobis comminantur, sed longe etiam grauioris igne plectantur? Verū
tamen

DE SACERDOTIO

tamen mala huiusmodi sustinet patiturque, qui peccatoris mortem non uult, ut conuertatur ipse ac uiuat. Cuius in nos beneuolentiam miram qui satis mirabimur? ad cuius misericordiam qui satis obstupescemus? En qui Christiani sunt, seuius etiam quam hostes atque aduersarij Christi opes perdunt. At ille etiamnum bonus benignitatem ubique praefert, ad poenitentiam inuitans. Tibi gloria, tibi, inquam, gloria domine: quantae apud te clementiae abyssus, quantae est patientiae copia? En qui nominis tui praetextu ex ignobilibus & obscuris clari atque illustres effecti sunt, honore abutuntur, contra eum qui honorem est largitus, audentque non audenda, in sacrosancta illa tua mysteria iniurij, probos extrudentes eicientesque, ut homines malis perditisque moribus praediti magna cum quiete ac summa cum licentia quaecumque collibuerit inuertant, atque conturbent. Cuius quidem morbi si causas perdiscere cupis, ijs ipsis quas paulo ante numerari similes comperies. Radicem enim, & ut sic dicam, matrem unam habent, inuidentiam: earum uero non una tantum species est, sed admodum diuersae. Hic enim, inquiunt, quandoquidem iuuenis est eiciatur. Ille quandoquidem adulandi nescius est, alius propterea quod illius cuiuspiam offensionem incurrit, alius ut ne indoleat ille nescio quis, si quem ipse eligendum obtulit, explosum, hunc uero adlectum uiderit. Alius propterea quod probitate, benignitate, facilitate, humanitate praeditus, alius propterea quod delinquentibus asper ac terribilis, alius alia simili de causa: neque enim illis
causae

LIBER TERTIVS.

causæ atq; excusationes desunt, quotquot afferre uoluerint. Atq; adeo dum causari aliud non possunt, opum diuitiarumq; copiam causantur: addētes non oportere quenquam repente ad dignitatem huiusmodi assumi, sed sensim & per gradus quosdam. Possunt & iidem alias quidem atq; alias, quotquot illis libitum fuerit, causas comminisci. Ego uero lubēs hic sciscitarer. Quidnā igitur episcopus hic faciet, conflictu illi contra tot uentos proposito? quonam ille modo aduersum tam multos fluctus unus resistere poterit? qui insultus impetusq; machinarū huiusmodi repellat? Eteñ si rem recta ratione ac iudicio aggredi uolet, inimici protinus atq; hostes tum eidem, tum electis omnes illi: tum uero omnia statim illi per contentionem, atq; ut episcopo aduersentur faciūt, præterea & similtates, seditionesq; quotidie concitant, & sexcentis etiam scommatis eorum uitam qui electi fuerint incessunt, horum nullum finem facientes, donec uel illos eiecerint, uel suos candidatos intromiserint. Deniq; perinde esse uideas, ut si quis gubernator, piratas habeat eadem nauē unā secum nauigantes, qui quidem, tum ipsi, tum nautis, tū uectoribus assidue horisq; singulis insidias struant. Quod si episcopus illorum gratiam saluti suæ præposuerit, admissis ijs quos admissos esse nō oportet, fiet profecto, ut illorū loco deum sibi offensum habeat, qua re quid illi inauspicatius accidere potest? Adde quod episcopo eidē aduersus illos res erit longe difficilior, molestiorq; q̄ antehac, omnibus illis inter sese iam consentientibus

tibus

DE SACERDOTIO

tibus, ac multo etiam fortioribus rei controuersæ contentiosæq; uictoria accedente redditis. Nam quemadmodū sæuiantibus pugnantibusq; inter sese asperrimis uentis, derepente mare antea quietum ac tranquillum furit, atque intumescit, eosq; omnes quos tum uela facere contigerit, perdit: ita ecclesiæ tranquillitas, perditis hominibus admissis, turbulencia, ac naufragijs permultis infestat.

Caput XVI.

Hic igitur animo expēde, qualem esse oporteat eum, qui tantæ tempestati opponendus, ac tam multa impedimenta rerum ad communem salutem spectantium probe temperaturus sit. Nam & grauem illum, sed minime fastuosum, & terrificum, sed humanum, & uisenda maiestate principem, sed omnibus tamen appellandis comem, eundemq; integrum, officiosum, humilem, sed minime seruilem: ac rem quoque ac uehementem esse conuenit, sed tamen & mansuetum, ut nullo ipse negotio contra illa, quæ dixi omnia depugnare, tum uero eum, qui idoneus uisus fuerit, magna cum autoritate ac libertate, quanquā omnibus reclamantibus, in medium protrahere possit: rursus eum qui alius compertus fuerit, cum eadem illa autoritate ac libertate, ut etiam omnes conspirent, non admittere: deniq; ut nihil in cuiusquam uel gratiam, uel odium facere conatus ecclesiasticæ unius ædificationis decus, cōmodumq; tantum spectet. Tibi ne modo Basili merito uideor negotij istius ministerium deprecatus fuisse? atqui nondum omnia tibi percensui, supersunt em̄
alia

LIBER TERTIVS.

alia mihi dicenda. Tu uero ne delasseris tātisper, dum patienti aure sustines uiri amici ac uere germani orationem, tibi persuadere conantis, sese criminum eorum reum haudquaquam esse, quorū tute cum infimulas. Neque enim ipsa hęc tantum conducunt ad defensionem eam, qua apud alios nomine nostro uti potes: uerum & ad ipsam muneris eius, quo de agitur, functiōem lucrum auxiliūmq; non exiguum conferunt. Eum enim oportet, qui ad terendam uitæ huiusmodi semitam accessurus est, omnia prius ad unguem perscrutari, atq; ita demū negotio manus admouere. Quamobrem? quandoquidem si nullū aliud inde nascetur emolumentum, certe rerum omnium prudenter gnaro lucrum id supererit, ut quum id genus procellæ tempestatesq; emerferint, nihil rerum insolentia ac nouitate perturbetur. Vis igitur tibi hic à me prius expediri præsidium patrociniūmq; id, quod uiduis impendendum est? an studium curamq; eam, quam episcopus uirginibus debet? an potius iudicialis partis, cui ab illo maximopere attendendū est, difficultatem? Nam unumquodq; horum diuersam sibi curam uendicat, timoremq; cura etiam illa longe grauiorem. Ac primum, ut ab eo quod inter alia leuissimū esse putant, exordiamur. Viduarum quidem cultus uidetur haud aliam quā pecuniæ insumendæ sollicitudinem ijs præbere, qui illarum tractandarum curandarumq; prouinciam susceperunt. Id autem longe aliter se habet, nam quoties illę deligendę, ac tanquā in catalogum referendę sunt, & hic quoq; magno

F admo

DE SACERDOTIO

admodū examine opus est. Id eīm ipsum, quod temere, & ut casus tulit in albū referantur, innumera olim mala peperit, nam & familias pessumdedit, & nuptias diuellit: præterea hac una de causa compertum est uiduas aliquot tum furando, tum cauponando, atq; alia id genus cōmittendo, multa præter dignitatem, atq; ordinem egisse. Huiusmodi uero uiduas ecclesiastica pecunia ali, præterquam quod dei uindictam paratam habet, facit etiā ut apud homines maximo pere improbetur, damneturq; ac multorum quoq; beneficentiā remoretur, Quis eīm unquam uelit, quas quis Christo offerre mādauit facultates, eas ijs sustentādis infumi, quæ Christi nomen calumniari non cessant? quo nomine multam huc, ac diligentem afferre discussionem conuenit: idq; ne quæ sibi ipsæ uitā sufficere possunt, ne dum illæ de quibus locutus sum, indigentium mensam absument. Porro discussionis huius diligentiam sequitur cura non mediocris, ut uiduis uidelicet in albū relatis alimentata quæ præstanda sunt, affatim tanq̄ ex fonte aliquo affluant, nec unq̄ desint. Fit eīm nescio quo pacto, ut inuita paupertas malū sit insatiabile, querimonia semper atq; ingratitude plenū. Ac multa sanè prudentia, multo itē studio opus est, ut qui criminationis causas omnes amouere à se cupit, ipsarū ora obstruat. Iam pleriq; ubi aliquem uiderint pecuniæ imperantē, continuo idoneū ad huiusmodi œconomiā pronuntiant: At ego nunquā existimauerim hanc illi animi magnitudinem satis esse, quā ipsam præstandā quidē imprimis esse,

quip

LIBER TERTIVS.

quippe sine ea uastator potius q̄ antistes, & pro
 pastore lupo fuerit, uerū & unā cum ea uidendū
 puto, num & aliā animi uirtutē habeat, Ea est autē
 mortalibus bonorū oīm autor patiētia atq; a qua
 nimitas, hoīs aīm tanq̄ in serenū quendam portū
 appellens. Nam uiduarū genus tū paupertatis, tū
 ætatis, tum sexus noīe immodicam sibi libertatē
 usurpat, sic em̄ loqui præstat, uociferāturq; impor-
 tune semper, & ab re conquerūtur, & lamentātur
 ubi gratia habenda, & incusant quod laudandum
 ac probandum qua in parte antistitē oportet oīa
 generose ac fortiter pati: neq; irritari, siq̄ illæ aut
 intempestiue obtundant, aut immerito ex postu-
 lent. Illarum em̄ infelicitas misericordiam potius
 q̄ contumeliam meretur, quarum certe calamita-
 tibus antistitē ipsum insultare, & dolori ob pau-
 pertatē nato contumeliæ etiam molestiā addere,
 extremæ crudelitatis atq; immanitatis fuerit. Quo-
 circa uir quidā sapiētissimus, humani ingenij aua-
 ritiam fastumq; contemplatus, præterea intelli-
 gens paupertatis uim, naturamq; tm̄ posse, ut uel
 generosissimū quenq; animū prosternat, cogatq;
 identidē isdē rebus postulādis impudentē esse, ut
 ne quis per pauperū efflagitationes ira excande-
 sceret, tū uero assiduo illorū occurſu irritatus, illis
 aduersarius is fieret, qui opē afferre deberet, ipm̄
 instruit ad sese mitē, ac facilem indigenti præstan-
 dū. Pauperi, inquit, citra animi tui molestiā aurē
 inclina, atq; illi pacifice humaneq; respondeto, ac
 missum faciens indigentē eundemq; irritantē, quid
 em̄ dicere quis ad illum possit, qui supplex iaceat?

Eccle. 4.

E a cum



DE SACERDOTIO

cum eo sapientissimus ille idem uerba facit, qui illius infirmitatem subleuare potest exhortans, ut tum uultus mansuetudine, tum orationis humanitate, antequam ad largitionem descendat, illius animum erigat, excitetque. Quod si quis destinatas uiduis facultates non usurpet quidem, in ipsas autem probra coniiciat infinita, contumeliaque afficiat, atque adeo aduersus eos iritetur: non solum liberalitate sua natum a paupertate dolorem non subleuat, uerum & malum ipsum conuitibus aggrauat, coguntur enim perfricta admodum esse fronte obuentris esurientis necessitatem: ueruntamen & dolorem etiam ab huiusmodi ui contumeliaque concipiunt. Proinde quum ob inediae timorem mendicare, & ob mendicitatem impudentes esse coguntur: rursus quum ob impudentiam contumelia afficiantur, multiformis quaedam angoris, mœstitiæ, dolorisque uis & quæ caliginem multam afferat, in illarum animum irruit, eumque oportet qui illarum curam suscipit, hactenus æquanimem patientemque esse, ut non solum non sua destomachatione illarum mœstitiæ anxietatem augeat, sed & consolatione sua dolorem eum magna ex parte sopiat: qui aliunde enatus illarum animos occupauerit. Nam quemadmodum nescio quo pacto fit, ut quem contumelia affeceris, is non sentiat pecuniarum acceptarum subsidium ob inflictam contumeliæ plagam: sic quem blande atque humaniter appellaueris, quique idem donum aliquod unâ cum sui consolatione à te acceperit, exultat magnopere, ac lætatur: tum uero donum ipsum donantis

uultus

LIBER TERTIVS.

vultus gestusq; conduplicat. Quæ ipsa non ex me pronuncio, sed ex illius uerbis, cuius illa ipsa est admonitio, quæ præcessit. Fili enim inquit, in bonis ne des querelam: & in quocunq; dato ne des tristitiam uerbi: nonne ros ardorem tollet? sic uerbum melius quam datum. Ecce enim uerbum supra dona ipsa excellens bonum, utrunque autem uir gratus præstat. Proinde non humanum solum ac patientem qui illarum curam suscipit, uerum nihilo etiam minus œconomicum esse oportet, quandoquidem si ipsum hoc abfuerit, rursus pauperum facultates in idem damnum recidunt. Prædem enim quidam, cui administrationis huiusmodi prouincia demandata fuerat, magnam auri copiam cum collegisset, id ipse quidem haudquaquam deuorauit, sed neq; in indigentium usum præter pauca quædam insumpsit: maximam autem pecuniæ illius partem terra obrutam asseruauit, donec temporis iniquitas superueniens hostibus in manum illam totam tradidisset. Magna igitur prouisione opus est ut ecclesiæ facultates neq; redundant, neq; rursus desint: sed quæ ecclesiæ erogantur, continuo indigentibus sunt dispertienda: cæterum in subditorum animis ac beneuolentia ecclesiæ thesauri collocandi. Enim uero quanta pecuniarum impensa opus esse existimas, tum in excipiendis hospitibus, tum in curandis ægrotis? quantum autem tum diligentiam, tum prudentiam ad eam rem afferre debent, qui illi præfecti sunt? quando hanc ipsam impensam nequaquam ea, quam dixi, inferiorem, plerunque autem & maiorem
F a esse

DE SACERDOTIO

esse oportet: præfectumque ipsum largitorem esse decet circumspectum, ac prudentem, ut eos qui bonis abundant, animet: ut etiam certatim atque hilariter bona sua impertiantur: ne dum consilium tollendæ ab infirmis inopiæ, largientium animos percellat, offendatque: atque in hac quidem parte sollicitam animi propensionem, studiumque multo uehementius præstare conuenit. Sunt enim quodam modo qui ægrotant, morosi ac torpescentes: ac nisi summam undecumque diligentiam curamque adhibeas, uel tantillum, quod quidem à te fuerit neglectum eiusmodi est, ut ægrotanti mali plurimum afferre possit.

Caput XVII.

CAeterum quod ad uirginum curam spectat, tanto certe maior inibi timor inest, quanto uirginitatis donum preciosius: quanto uirginalis grex cæteris regalior. Iam enim factum est, ut & in sanctarum uirginum chorum infinite, eademque uitis refertæ infinitis inuaserint, debacchataque fuerint: que res & luctum multo acerbissimum parit. Ac quemadmodum non ex æquo se res habet, pulla ne liberalis, an illius ancilla peccet: sic paria inter se non sunt uirginis ac uiduæ delicta. Viduis enim impune est & nugari, & conuiuijs inter se depugnare, & adulari, & fronte perfrieta esse, & nusquam non apparere, & in foro frequentes esse. At uirgo ad maiora sese accinxit certamina ut pote quæ cælestis illius philosophiæ æmulatrix, profitetur se angelicam uitam in terris referre: cui item propositum est ut illa eadem præstet, quæ cælestes ille atque incorporeæ uirtutes præstant.

LIBER TERTIVS.

stant: quam ipsam non conuenit, neque frequen-
tes, ac superuacaneas inambulationes agere, ne-
que uerba temere atque inconsulte effutire: con-
uitiū uero atque adulationis ne nomen quidem
agnoscere: propterea tutissima custodia, ac maio-
ri præsidio indiget: nam sanctimoniam aduersari-
us assidue astat, ipsæq; in primis insidiatur: deuora-
re paratus, sicubi uirgo aliqua cadat, labaturq;.
Præterea ex hominibus insidiantur permulti cum
que his omnibus naturæ insania: denique suus illi
ordo in quem se adscribi uoluit bellum condupli-
cat: tum quod extrinsecus ingruat, tum quod in-
trinsecus obturbet. His igitur de causis efficitur,
ut ei qui regendis uirginibus præfectus sit, ma-
gnus timor immineat: sed maius tamen pericu-
lum, maior animi dolor: si quid forte præter ani-
mi sententiam, quod deus auertat, eueniat. Nam
si patri filia occultam in animo uigilantiam affert,
ac si cura de ea suscepta somnium à paternis ocu-
lis excutit, ubi timoris illi tantum incumbit, ne uel
filia sterilis euadat, uel nubilem ætatem domi pa-
ternæ transigat, uel inuisa alijs negligatur: quid
facturum putamus eum, cuius animum nulla ha-
rum rerum quas dixi, cura tangat? sed qui de alijs
quibusdam longe grauioribus sollicitus sit? Neq;
enim hic agitur de mariti, sed de Christi ipsius ne-
glectu ac contemptu: neq; ipsa sterilitas oppro-
brium ignominiamq; tantum, sed & animæ tan-
dem internitionem parit. Omnis enim arbor, in-
quit, fructum non faciens bonum exciditur, & in
ignem mittitur. Iam uirgini quæ spōsus Christus

E 4 ode

DE SACERDOTIO

oderit, non satis est accepto repudij libello abire: sed odij illius pœnas luit, supplicium æternum. Ac pater quidem secundum carnem multa habet præsidia, quibus procliue illi sit filiam asseruare: ad cuius uirginis custodiam opitulantur, tum mater tum nutrix, tum seruorum turba, tum domus tutela. Neque enim licet ei frequenter in forum descendere, neq; si quando ea descenderit occurrentium oculis conspicua esse cogitur. Præter hæc autem culpæ omnis atque criminationis expers est, quod nunquam cogatur in uirorum prodire conspectum. Neque enim rerum necessariorum cura, neque inuiciorum hominum improbæ molestiæ, neq; id genus alius hominum occursum congressumq; necessarium illi constituit: cum illi pater pro omnibus sit. Ipsa autem unam duntaxat curam habeat, ut nihil scilicet uel faciat, uel loquatur, quod uirginalem honestatem dedeceat. At uero in eo ipso, quod ad episcopum pertinet, multa certe sunt, quæ illi uirginis custodiam difficilem, seu potius omni arte superiorem efficiunt. Neq; enim illam secum domi habere possit, neq; illud sanè contubernium decens, aut periculo uacans fuerit: etenim ut nullum uel hinc detrimentum ipsi patiantur, sed synceram constantemq; sanctimoniam seruent: nihilo tamen minus rationem reddituri sunt pro ijs animis, quas offenderint, ac praua aliqua suspitione asperferint, quàm si inter se peccauisse eos contigerit. Porro quum episcopo non liceat uirginum contubernio uti, relinquit, ut facile illi non sit uirginis animi motus

tus

LIBER TERTIVS.

tus perdiscere, & quæ nimis exuberant ordinemque excedunt circuncidere, quæ autem intra ordinem ac numerum consistunt, magis ac magis excolere, atque in meliorem profectum perducere: tum uero eisdem non perinde procliue erit perscrutari curiosèque indagare, si quando uirgines domo egressæ foras eant uagenturque. Nam quod uirgo inops sit, atque imperio soluta, id ipsum certa efficit, ut episcopus haud ita magnam diligentiam præstet in examinanda illius honestate: quippe cum ipsa sibi omnia administrare cogatur, complures intemperate uiuere uolenti egressuum uagationumque tituli ac prætextus: quos quidem impedire eum oportet, qui illam iusserit domi assidue demorari rebus necessarijs suppeditatis, ac data pedissequa, quæ illi administret. Iam & uirgini oportet funebres pompas, ac publica peruigilia interdicta esse, nouit enim, nouit ingeniosissimus serpens ille, uel per bona opera suum ipsius uirus disseminare. Propterea uirginem oportet undecumque tanquam muro circunseptam esse, ac toto anno perraro domo egredi: idque demum cum inexcusabiles, ac necessariæ urgebunt causæ. Quod si quis dicet episcopo opus non esse, ut res huiusmodi pertractet, nouerit is singulas uirginalis studij curas, atque adeo criminationes omnes, quas in uirgines coniungi contigerit, ad illum recidere: qua ex re utilius multo fuerit, si ipse rem per se administras criminibus ijs liber euadat, quæ illum per aliorum delicta sustinere oportet: quam administratione ea relicta rationis reddendæ iudicium reformida-

F 5 re,



DE SACERDOTIO

re, eorum delictorum quę alij commiserint. Adde quod qui per se ipse hoc munus exequitur, magna cum facilitate omnia transigit, qui autem necesse habet uicaria aliorum opera defungi, præterquã quod magnum illi adest negocium, ut omnium animos ad id munus gerẽdum sibi persuasos reddat: certe laboris remissionem tantam non habet ex functionis illius abstinence, quanta negocia, quantosq; turbines sustinet ab ijs qui resistunt, atque ipsius sententię ac iudicio repugnant. At uero uirium nostrarum non fuerit eas omneis curas sollicitudinesq; percensere, quas sibi studium quod uirginibus impendendum est uendicat: quę ipse quum in album referendę sunt, mirum dictu est quanta illi negocia facessant, cui prouinciam hanc credideris.

Caput XVIII.

Iam pars illa, quam episcopum tractare in iudicijs conuenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit, quę ipsa præterquam quod negocijs per multis plena est, tam multas etiam difficultates affert, quã multas ne forenses quidem iudices sustinent. Nam quum iustum ipsum inuenire labor est, tum eo inuento id non sequi inuidiosum. Neq; uero hic negocium tantum ac difficultas, sed & periculum non mediocre inest. Pridem enim infirmi quidam negocijs quum præmerentur, neque haberent qui sibi patrocinaerentur, fidei naufragiũ fecerunt. Fit autẽ nescio quo modo ut qui iniuria afficiuntur, nihilominus eos oderint, à quibus non adiuuantur, quã eos qui iniuriam

riam

LIBER TERTIVS.

riam inferunt, ac neq; negociorum distractionis, neq; temporum inclementiæ, neq; episcopalis magnitudinis, neq; alterius id genus rei cuiusquã rationem ullam habere uolunt: quinimo iudices se ipsi præstant inexorabiles, defensionem unã prætendentes, malorum ipsos prementium defensionem: quam quidem qui præstare non potuerit, quamuis mille etiam causas afferat, nunquam effecerit, ut illorum condemnationem non subeat. At quoniam nos in patrocini mentionem incidimus, age hic & aliam quandam querelarum speciem causamq; tibi patefaciam. Nam nisi quotidie episcopus omnium domos circumierit, hac in parte uel eos superans, quibus nullum aliud studium est, quàm in foro uersandi, deambulandiq; hinc continuo offensiones infinitæ emergent. Neque em̃ ij solum qui ægrotant, sed & qui sani sunt inuisi se uolunt. Id quod non religionis ac pietatis, sed honoris dignitatisq; potius nomine pluri mi sibi uendicant: ac si quem forte contigerit ex di tioribus potentioribusq; Christianis, ecclesiæ usu lucroq; communi ita urgente, ab episcopo frequentius inuisi, hic protinus episcopus palpatoris atq; adulatoris notam sibi inurit. Sed quid attinet patrocinandì inuisendi que partes hic persequi, quum & solæ appellationes salutationesq;, quibus episcopum uti oportet, tam magnum etiam criminationum pondus, afferant, ut & ille pondere ferendo incuruetur, atque adeo præ animi mor stitia plærunque succumbat, ut nihil hic agam, quod & ob oculos illò potius, quàm illò cõiectos
ad cal

DE SACERDOTIO

ad calculos uocare illum uolunt. Quæ enim ab episcopis simpliciter fiunt, plæriq; accurate ac diligenter excutiunt, pensitata etiam uocis mensura, aspectus habitu, ac risus quantitate. Illi enim, inquit, magnifice arrisit, eundemq; tum hilari uultu, tum uoce liberali salutauit: me uero longe parcus, atq; ut casus tulit: ac nisi multis uno in loco simul sedentibus quoquouersus oculos ille circumtulerit, omnes appellant, id ipsum contumeliam esse uulgius dictitant. Quis igitur qui idem nõ sit admodum fortis, tam multis accusatoribus sufficere poterit: ut uel ab illis prorsus non accusetur, uel accusatus crimen effugiat. Oportet enim primum te ne reum quidem esse, accusatoresq; habere: deinde si id præstare nequaquam potes, diluenda sunt crimina, quæ illi obiecerint. Quod si ne istud quidem facile erit, sed delectabunt quosdam temerariæ ac nulla causa subsistentes criminaciones, tum demum generose ac fortiter animi doloribus huiusmodi occurrendum, resistendumq;. Etenim qui merito incusatur, facile tulerit eum, à quo incusatur: quippe quum accusator minus quam conscientia ipsa infestus sit, efficitur, ut quoties ab ea, quæ omnium molestissima est deprehensi conuictiq; prius fuerimus, accusatores extraneos, ut qui mansuetiores sint, facile postmodum patiamur. Porro qui nullius sibi culpæ conscius est, dum iniuste accusatur, continuo ad iram propensus fertur, nec non animum facile despondet: nisi idem sic se prius animo comparauerit, præparaueritq; ut multorum insipientiam patiē

LIBER QVARTVS.

patientissime ferat: fieri enim uix potest ut qui se temere calumniã pati atq; inique damnari intelligit, non aliquomodo aduersus tantam hominum iniquitatem atque absurditatem commoueatur. Quorsum autem hic enumerare attinet reliquas illas molestias doloresq; quos tolerare episcopũ oportet, dum necesse est amouere aliquem ab ecclesiæ cœtu? quæ atrocitas utinam intra molestiam doloremq; consistat, ac non etiam perniciem non mediocrem afferat. Timendum enim est, ne ille forte ad iniustius supplicium adactus dolore immodico, quod beatus Paulus ait, absorbeat. **2. Cor. 2**

Magna ergo diligentia hic opus est, ne dum prodesse illi cupis, maioris damni autor sis. Nam quæcunq; ille post huiusmodi curationem peccata cõmiserit, futurum est ut horum singulorum pœna cum medico illo communis sit, qui uulnus probe nõ inciderit. Quàm multa igitur supplicia episcopos manent, quum ex eis unusquisq; non solum rationem redditurus sit suorum delictorum: sed eorum item omniũ, quæ alij commiserint, ad extremum illos uenire oporteat periculũ. Nam si horremus dum iudiciũ id nobis subcũdum est, in quo peccatorum priorum rationem reddaturi sumus, ut qui sentiamus nos ignem illum æternum effugere nequaquam posse, quid illi expectandũ est, qui tam multorum nomine causam sit ipse dicturus? Quod autem hoc uerum sit, audi B. Paulum, sed potius non Paulum, sed Christum Pauli ore loquentem: Parete ijs qui præsunt uobis, & cõcedite, nam illi uigilant pro animis uestris tanq̃ ratio

Heb. ult.

DE SACERDOTIO

rationem redditori. Hic cine exiguus tibi uidetur
comminationis terror? equidē illum quantus sit,
uerbis exprimere nō possum. Vsq; adeo ut qui ad-
modū etiam animo duri sint, ac qui se facile alio-
rum oratione persuaderi non patiantur, quæ dixi
abunde sufficiant, ut periuasum illis sit, nos neq;
fastu atq; contumacia, neq; inani gloria captos,
sed tum nobis ipsis tm̄ timentes tum rei ipsius ma-
gnitudinem emensos, fugæ genus adornauisse.

LIBRI III. FINIS.

HAEC INSUNT IN IIII. LIBRO.

Cap. 1.

Quod sacerdoti necessaria sit expedita dicen-
di facultas.

Caput 2.

Quod quorumuis concertationibus, siue Græ-
corum siue Iudeorum aut hæreticorum occurre-
re paratus sit.

Caput 3.

Bene doctū dialectices esse oportet episcopū.

Cap. 4.

Quod diuus Paulus præcipue hoc exercuit.

Cap. 5.

Quod D. Paulus non tā signorū & miraculorū
multitudine excelluerit, q̄ arte differendi.

Cap. 6.

Quod & nos hoc iubeat exercere.

Cap. 7.

Quod quum hæc non habeat episcopus cogan-
tur subditi non leue damnum frequenter subire.

DIVI

AD IOAN

NIS CHRYSOSTOMI DE SA-

cerdotio liber quartus eodem

interprete.

CAPVT I.

HAEC BASILIVS quum audisset,
paululum cunctatus: Tu uero, inquit,
si studiose principatum hunc tibi com-
parasses nimirum animi tui formido
ista ratione aliqua niteretur. Nam qui se idoneū
ad muneris alicuius functionem semel professus
est, hoc ipso quod functionem ipsam studiose arri-
perit, hic certe si quid post creditam sibi mune-
ris administrandi prouinciam aberrauerit, haud
quaquam ad inscitiae praetextum cōfugere possit:
ut qui anteuertens, sibi ipse defensionem ademe-
rit, uel ob id quod accurrerit, quodq; administra-
tionem eam sibi rapuerit: intantum, ut qui spon-
te ac uolens eō accesserit, iam non sermonem hūc
usurpare possit. inuitus peccaui, inuitus illum ali-
quem perdidit. Dicit enim ad eū qui tum illi hac
in causa iudex fururus est. At quo tandem nomi-
ne, quum animi consilijq; tui uires pares non es-
sent functioni huiusmodi inculpate pertractandae
aduolasti, aususq; es prouinciam humeris istis mi-
nime parem subire? quisnam obsecro te ad id co-
egit? quisnam ui te attraxit detrectantem fugien-
temq;? Tu uero nihil tale unq̄ auditurus es Chry-
sostome: neq; enim ipse possis delicti cuiusquam
huius

Basilius.

DE SACERDOTIO

Chryso-
stomus.

huiusmodi teipsum damnare: omnibus iam mani-
festum, te ne tantillum quidem laborauisse, ut ho-
norem hunc assequeris: sed aliorum potius offi-
cium beneficiumque id honoris tibi detulisse. Atque
adeo quod illos delictorum ueniã impetrare non
patitur, hoc certe abundans tibi Apologiã argu-
mentum subministrat. Ad hos sermões caput quũ
mouissem, sensimque arrissem, hominis facilitatẽ
simplicitatemque demiratus, hac ego ad ipsum ora-
tione usus sum: Equidem optarim optime Basili
hæc ita se habere ut dixi: idque, non ut id muneris
amplectar, quod iam detrectaui. Nam ut mihi
etiam nullum propositum sit supplicium defun-
ctorie atque adeo imperite Christiani gregis admi-
nistrationem gerenti, mihi tamen omni supplicio
grauius fuerit, si constaret me, cui tam excellens
credita fuisset functio, pro eius dignitate qui cre-
didisset, sustinere eam nõ posse. Quam ob rem igitur
optarim tuam istam opinionem nequaquam
falsam, sed potius ueram esse? Nempe ut miseris,
calamitosisque (neque enim alio nomine nisi digni sunt,
qui recte non aspirarunt ad muneris istius præ-
fecturam) ut millies tute eos dicas ui pertractos
fuisse atque ignorantia peccasse? ut miseris, inquam
illis effugere liceat ignem illum æternum, exterio-
res tenebras, ac uermem nunquam emoriturum,
postremo ut ne dissecentur, ac perditum cum hypo-
critis partem habeant. Verum quid facias? certe
longe aliter sese res habet. Ac si placet à regno im-
primis aggressus, cuius quidem studium apud de-
um tanti non est, quanti est sacerdotij: uerborum
meorum

LIBER QVARTVS.

meorum fidem tibi faciam. Saul ille qui patrem
 Cis habuit, nō suo ipse studio rex factus est, ut qui 1. Reg. 9.
 quum abiisset a sinas peruestigaturus, prophetam
 super ijs rogare cœpit, at ille cum eo de regno col-
 loquutus est. Porro Saul ne auditis quidem pro-
 phetæ uerbis, ad regni administrationem suscipi-
 endam accurrendum sibi putauit: quinnimo ter-
 giuersatus deprecatusq; est, inquiens: Quisnam
 ego sum? quænam item patris mei domus? Quid
 tandem? Saul ne posteaquam non recte honore
 sibi à deo delato usus est, potuere uerba ista exi-
 mere ab eius ira, à quo rex creatus ipse fuerat?
 Atqui licebat illi aduersum Samuelem increpan-
 tem insimulantemq; uerbis his uti. Nunquid ad
 regnum ipse administrandum accurri? nunquid
 ad huius potestatis regimen profiliij, atq; aduola-
 ui? Equidem in animo habui priuatam uitam ui-
 uere, quietam quidem illam, ac molestijs uacan-
 tem: tu uero ad hoc me dignitatis, autoritatisq;
 pertraxisti. In illa ergo uitæ humilitate, atq; ob-
 scuritate uersatus facile offensiones has deuitas-
 sem. Nam si ex uulgarium, atq; ignobilium homi-
 num numero unus fuisset, mihi aduersus Amale 1. Reg. 5.
 chitas bellum deus non credidisset, quo mihi non
 credito peccatum huiusmodi nunquam perpetras-
 sem. Verum hæc, quæ dixi omnia ad defensionem
 sunt infirma: neq; infirma tantum, sed etiam usq;
 adeo periculosa, ut dei iram magis iritent. Eum
 enim, qui magistratum meritis suis maiorem asse-
 cut⁹ est, ut errata ipse sua tueatur defendatq;, ma-
 gistratus magnitudinem prætere non oportet

G ter

DE SACERDOTIO

1. Reg. 1

tet: quinimo in maiorem uirtutis profectum magna illa dei erga se beneuolentia uti. Qui uero ob id peccandi licentiam sibi tribuit, quod præstantiori dignitate ornatus sit, certe nihil aliud quam dei benignitatem, peccatorum suorum autorem facere conatur: id quod solenne quidem est impijs hominibus, ijsq; quorum uita in ignauia ac socordia uersatur. Nos autem sic animatos haudquam esse conuenit: neq; in parem cum illis insaniam prolabi, sed omni ex parte operam dare, ut uigilantiam nostram omnem pro uirili exhibeamus, bene ubiq; de deo ominantes, nunciantes, cogitantes. Neq; em̄ Heli (ut dimisso regno ad sacerdotiũ, de quo nobis sermo habetur, ueniamus) studiose, ambitioseue dignitatẽ eã sibi parauit. Hoc ipsum igit̄ quid illi post delictum profuit? At quid dico parauit? quũ ne illi quidẽ id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuisset: ut qui unus esset ex tribu leui, ad quẽ ip̄m oporteret dignitatẽ eam, ad se iam à maiorum suorum retro origine descendentem suscipere: qui idem tamen liberorũ suorum petulantia non mediocres pœnas dedit. Iam quid dicas de primo illo Iudæorum sacerdote? de quo tam multa cum Mose deus uerba fecit? nõne hic posteaquam unus non potuit tanti populi insaniam resistere, parum abfuit quin periret, nisi fratris patrocinium dei iram auertisset? Posteaquam uero Mosis mentionem intulimus, consentaneum est ex ijs, quæ illi obuenere, orationis nostræ ueritatem demonstrare. Hic quippe Moses uir uere beatus, tantum abfuit à rapienda Iudæorã

LIBER QVARTVS.

dæorum præfectura, ut & oblatam recusaret, &
 deum etiam id iubentem mandantemq; non au-
 diens contra se iritaret. Quod quidem non solum
 id temporis fecit, uerum & postmodum, quum iã
 præfecturam eam administraret: qua ut defunge-
 ret, lubens è uiuis decessisset. Quid igitur postea-
 quam ad aquam peccauit, potuerène assiduæ illæ
 recusationes illum tutari, ac deo persuadere, ut
 ueniam ei concederet? Quanam alia quæso de cau-
 sa terra illa promissa priuatus est? certe non alia
 (quod quidem omnibus nobis notum est) quàm
 ex peccato huiusmodi, propter quod uiro illi ad-
 mirando haudquaquam licuit rebus iisdem poti-
 ri, quibus subditi eius potiti sunt. Quinimo post
 diuturnum tempus insumptum, post multas affli-
 ctiones, post immensum illum errorem, post bel-
 la ac trophæa permulta, procul ab ea terra deces-
 sit, cuius gratia tot, tantosq; labores sustinuerat:
 ac qui pelagi mala atque incommoda grauissimæ
 perpeffus est, portus tamen fructus nullus capere
 potuit. Vides ut iam nulla peccatorum excusatio
 relicta sit, non solum ijs qui rapiunt, sed ne ijs qui-
 dem qui alieno studio huc euehuntur? nam ubi
 qui uel deo decernente, eligenteq; se penumero ho-
 norem ipsum recusauere, tantas tamen pœnas lu-
 erunt, ac nihil quicquam à periculo huiusmodi
 eximere potuit, neq; Aaron, neq; Heli, neq; uirum
 illum perbeatum, sanctum, prophetam, admiran-
 dum, mortalium omnium humanissimū, eundēq;
 quasi amicum aliquem cum deo colloquentem:
 nimirum uix nobis, qui ab illius uirtute tantum

DE SACERDOTIO

absumus, satis esse ad defensionem poterit, consci-
 os esse nobis ipsis, quod ad honorem huiusmodi
 nullo ipsi studio, nulla ambitione aspirauerimus.
 Idem præsertim, quando ex his ipsis electionibus
 plerasque humano studio acceptas referre non
 oportet. Iudam deus elegit, eundemque in sacro
 sanctum illud cooptauit collegium, dignitate apo-
 stolica unam cum alijs ornatam, cui etiam maius
 quiddam quam alijs dedit, nempe pecuniarum
 dispensationem. Quid tandem? Num posteaquam
 duabus illis prærogatiuis contra quam debuit usus
 est, tum eo quem prædicandum susceperat prodi-
 to, tum pecunijs (quæ quidem traditæ illi fuerant,
 quo recte eas administrarit) male impensis, impu-
 nitate donatus abiit? Certe hoc potissimum nomi-
 ne grauius sibi accersiuit supplicium. Idemque per quam
 merito. Neque enim prærogatiuis à deo acceptis sic
 abuti decet, ut per eas deum offendas: quinimo
 ut magis ac magis deo acceptus fias. Ceterum qui
 hoc nomine: quod alios honore aliquo excellat,
 admissorum eorum, quæ poenam commereantur,
 uenia dignum se esse cæset: perinde facit ac si quis
 ex infidelibus Iudæis Christum audiens sic loquen-
 tem: Nisi uenissem, eisque loquutus fuisset, pecca-
 tum non haberent, ipsum seruatorem optime de
 humano genere meritum his uerbis increpet, in-
 simuletque. Tu uero cur uenisti, ac loquutus es? cur
 & signa fecisti, ut grauioribus in nos supplicijs
 animaduertes? At uero dementiæ ac summæ
 adeo infantiæ uerba hæc: neque enim medicus ut te
 magis cõdemnaret, curaturus accessit, sed ut pror-
 sus

Ioan. 15.

LIBER QVARTVS.

sus à morbo liberaret. Te uero ultro ipse ab illius
 manibus summouisti. Igitur & grauius suppliciū
 sustincto. Nam quemadmodum si curationi pa-
 ruisses, futurum erat, ut & à pristinis morbis pec-
 catisq; liberareris: sic quandoquidem medicum,
 quem præsentem habuisti, auersatus es, iam non
 peccata illa abstergere potes. Quod autem id ne-
 quaquam possis, propterea horum certe pœnas
 dabis. Idq; præsertim quòd medicus, quod ad te
 spectat, studium operamq; suam perdiderit, qui-
 bus de causis efficitur, ut non pares communesq;
 pœnæ eæ sint, quas ante dignitatem à deo acce-
 ptam damus, cum ijs quas dignitate iam acce-
 pta luere cogimur. Hic enim longe grauius, quã
 illic plectimur. Etenim quem beneficia accepta
 meliorem non reddūt, is certe etiam grauius sup-
 plicium commeretur. Itaq; quum defensio huius-
 modi iam non satis firma esse uideatur, ac non so-
 lum eos nō tueatur qui ad eam cōfugiunt, sed ma-
 gis etiam prodar, nimirum aliud nobis præfidi-
 um inueniendum, quo nos tueamur ipsi. Quale
 nam, quæso, futurum hoc est præsidium Ba-
 silius, inquit: quandoquidem apud me iam esse
 non possum: tantum mihi terroris, ac formidinis,
 tua istæc uerba incusserunt. Ne te, inquam, obse-
 cro atq; obtestor, ne te ipse eousq; deicias. Est em̄,
 est certe præsidium: si qui scilicet infirmi sumus,
 eò nunquam descendamus. Rursum si qui firmi
 ac ualentes estis, salutis uestre spes non alibi sitas
 habeatis post gratiam à deo acceptam, quàm ut
 nihil ipsi committatis, quod indignum esse possit

Basilius.
 Chryso-
 stomus.

DE SACERDOTIO

tum munere, tum deo muneris ipsius largitore. Maxime autem puniendi illi fuerint, qui post eū honorem studio atq; ambitione adeptum, uel per ignauiam, uel per malitiam, uel per imperitiam re ipsa nō recte utuntur. Neq; uero propterea paratā ueniā esse dixerim ijs q; nulla sua ambitione dignitatē eā obtinuerint. Nam ne ipsis quidē quis quā relictus est excusationis defensionisq; locus. Decere em̄ arbitror uel si te eò sexcenti uocent, atq; a deo cogant, non illos spectare: uerum animi tuidotes prius examinare, uiresq; tuas oēs exacte perscrutari: atq; ita demū cogentibus cedere. Iam domum se aliquā ædificaturū polliceri nemo audeat, qui idem architectus non sit: neq; ægrotantia contingere corpora quisquā aggrediatur, qui ipse medicinam non didicerit: quinimo uel pluribus uim afferētibus deprecabit: neq; enim suæ illum pudebit ignorantia. At uero, si diuis placet, cui tam multarum animarum cura credenda fit, is non prius se ipsum examinabit, quin potius, uel oīm imperitissimus, munus ipm̄ suscipiet, posteaq; uel ille iubet, uel ille cogit, atq; a deo ut ne illū offendat? Et quonam ille pacto sese unā cum illis in præsentaneum non coniicit periculū? Nam cū illi liceat ut se ipse per se seruet, nimirū & alios secū perditos perdit. Vnde enim speranda salus? Vnde uenia expectāda? quinā tum nobis deprecatores existent? Illi ipsi fortasse, qui nunc nos cogunt & ad necessitatem adigunt? Hos uero ipsos quis per id tempus seruaturus est? siquidem ipsi de precatoribus indigent, ut ignis æterni supplicium deuitēt.

At

LIBER QVARTVS.

At quod hic dicam, non quo te terream, sed quo rem ita ut uere se habet edoceam, ausculta, quid beatus Paulus ad Timotheū dilectum ac uere germanū filium scribat. Manus cito ne cui imponas, neq; communices cum peccatis alienis. Intelligis ne quanto non crimine modo, sed & supplicio (quod quidem in nobis fuit) eos liberauimus, qui nos eò honoris perducturi fuerāt. Nam sicuti ijs, qui ad id dignitatis electi ab alijs fuerint, non satis est defensionem hanc afferre, uoluntarius ipse ad huiusmodi munus administrandum non accessi, atq; ideo sanè non aufugi, quod non præscissem fore ut eligerer. Sic neq; eos qui elegerint, subleuare quicq; poterit, si dixerint ignorare se eū quē elegēre. Verū uel hoc ipso crimen grauius efficit, quod quē ignorauere, produxerint: ac certe quæ illis uidet̃ excusatio, accusationē auget. Nam quī id absurdum non sit? eos qui mancipium aliquod empturiunt, id tum medicis ostendere, tum emptio- nis sponsores postulare, tum uicinos interrogare, ac ne tum quidem adhuc confidere, quinimo & diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint: eos uero qui quempiam ad episcopale munus huiusmodi cooptaturi sunt, sicuti placitū sit ad aliorum uel gratiam, uel inuidiam testimonium suum accōmodare, ita eum temere atq; ut casus tulit allegēre, nulla prorsus alia discussione facta? Quis igitur nos tum deposcet atq; à noxa eximet, quū præsertim qui patrocinari nobis debēt, patrōis ipsi indigeāt? Proinde illū oportet, qui aliquē electurus sit, rē diligenter admodū

1. Timo. 5

G ↗ expen

DE SACERDOTIO

expendere, sed multo etiam diligentius eum, qui eligendus proponatur. Tametsi enim illi peccatorum suorum supplicium commune est cum ijs à quibus electus est, tamen ne ipse quidem hac ratione supplicium euadit: quod quidem & grauius feret, nisi si electores rē cōfecerint morbo aliquo humano uicti, reclamante etiam ipsorum conscientia, neq; secuti quod illa dictabat honestius esse. Nam si in eiusmodi delicto deprehensi illi fuerint, & quem indignum esse certo scirent, per causam tamen aliquam elegerint, utrique illi pari digni sunt supplicio. Fortasse autem & maius supplicium illum manet, qui sponte adlegerit minime idoneum. Qui enim potestatem facit uolenti ecclesiam corrumpere, is certe autor fuerit eorū omnium quæ perdita illius audacia turbauerit. Qui si nulli rei earum quas dixi obnoxius fuerit, sibi uero à uulgi opinione fucum fuisse factum dicat, ne sic quidem impune tulerit. At paulo leuiiores pœnas dabit, quàm daturus sit, qui ab ipso electus est. Quid ita? Nempe quod uerisimile uideri potest eos, qui elegere, à falsa aliqua opinione deceptos ad danda suffragia descendisse. Qui uero electus est dicere utiq; non queat, se sibi ut & alijs fuisse incognitum. Igitur sicuti is de quo grauius supplicium, quàm de alijs à quibus ascitus productusq; est, sumendum sit, ita debet sui ipse periculum accuratius quum illi facere: ac si eum illi ignorantes traxerint, illis accurrere, docereq; diligenter causas eas, per quas tum ille ab errore desistant, tum se ipse functione illa indignum cum

osten

LIBER QVARTVS.

ostenderit, tantarum rerum molem effugiat. Quā ob rem enim fit, ut de militia, de mercatura, de agricultura, cæterarumq; ad humanum uictum pertinentium rerum ratione deliberatio ineunda quum sit, neq; agricola nauigationem, neq; miles agriculturam, neq; gubernator militiam suscipiat, etiam si mortem illis millies commineris? Nempe propterea, quod illorum unusquisq; prospicit fore ut periculum sibi ab imperitia artis incognitæ immineat. Itā ne si diuis placet, ubi modicis in rebus periclitamur, tanta ipsi utemur prouidentia, neq; cogentium nos uiolentiæ parendum esse putabimus: ubi uero æternum illos manet supplicium, qui episcopatus administrationē iuste præstare nescierint, temere atq; ut casus tulerit, in tantum nos conijciemus periculum, alienæ uiolentiæ causam opponentes? Atqui causam huiusmodi admissurus haudquaquam est, qui rei istius iudicem aget. Decebat enim multo maiorē cautionem ac prouisionem spiritualium rerum quàm carnalium præstare. Hic uero ne parem quidem nos exhibere constat. Etenim quæro ex te, si quem ipsi suspicamur fabrum esse, ad opus uocemus, sequaturq; ipse: deinde manus admouens materiæ ad ædificium paratæ, ligna, itemq; & lapides auertat, opus autem sic coagmentet, domum sic ædificet, ut statim collapsura ea sit: nunquid ille sese abunde hac defensione tutaturus est, si dixerit, ab alijs se coactum, non etiam ultro ad ædificandum accessisse? Certe nequaquam, idq; iuste ac merito. Oportebat enim uel alijs ad id uocanti-

G 5 bus

DE SACERDOTIO

bus pedem retrahere, ac tergiuersari. Ita ne uero qui ligna ac lapides subducit faber, huic nullus prorsus suffugij locus, quo minus pœnas pendat. Qui uero animas negligenter ædificans perdidit, hiccine alienam uim, abundans sibi suffugium præsidiumq; putabit? & quo id pacto non ualde ineptum atq; absurdum? nõdum enim adijcio, nolentem à nemine compelli posse, sed & ipsum uolo uim fuisse immodicam perpeffum, artibusq; uarijs circumseptum ut in retia caderet. Hoccine igitur illū à supplicio eximet? ne, obsecro, ne eouisque nobis imponamus, neq; simulemus ignorare nos ea quæ uel admodū pueris nota esse possunt. Reuera enim quum rationis reddendæ tempus aderit, ignorantia simulatio hæc nihil nobis allatura est præsidij. Principatum huiusmodi nihil ipse ambiuisti, imbecillitatis tuæ conscius? Probe id ac recte. Oportebat ergo cum eodem hoc cõsilio uocantibus etiam alijs tergiuersari. An ne quum te nullus uocaret, imbecillis tu, ac minime idoneus eras: ubi primum uero comperti sunt, qui honorē ad te deferrent, derepente in ualentem atq; idoneum euasisti? Certe huiusmodi res deridicula prorsus, ac nugatoria est, eademq; extremo etiam supplicio digna. Nam hac una de causa dominus admonet, ne qui turrim ædificaturus est, fundamentum prius iaciat, quàm suas ipsius uires expēdat: ne qui illac transaturi sunt, ijs infiniti ludibrii ac risus ansam in se ipse præbeat. Atqui illius multa sese intra derisum continet, quum hic supplicium sit ignis æternus, uermis nunquam emoriturus, dentium

LUC. 14

LIBER QVARTVS.

dentium stridor, extremæ tenebræ, disseccari atque in hypocritarum ordinem cogi: quorum tamen omnium nihil ij expendere uolunt, qui factum nostrum accusant. Id quod si facerent, profecto cessaturos tandem putauerim: ab eo accusando, qui se temere ac nulla causa perire noluerit. Nobis quidem haudquaquam nunc res est de frumento, hordeoue dispensando, ac demetiendo, de bobus ouibusq; pascendis, aut alijs id genus rebus distrahendis, sed de ipsomet corpore Iesu curando. Christi enim ecclesia, ex beati Pauli

Coloss.

uerbis Christi corpus est. Ac certe eum conuenit, cui creditum corpus id fuerit, ipsum illud tum ad multam honestatem, tum ad pulchritudinem incredibilem perpolire, undecunq; circumspicentem, nec ubi macula, aut ruga, aut næuus, uitiūue aliquod huiusmodi, pulchritudinem honestatemq; illam labefactet. Atque ut paucis dicam, quidnam illum tandem aliud quā præstare oportet, ut sibi impositum caput, beatum quidem illud, atq; immortale, dignum atq; inculpatum, iuxta id quod humanæ uires possunt, exhibeat? Nā si, qui suum ipsorum corpus ad athleticam habitudinem cura adhibita componunt, ijs necessarius est usus & medicorum, & pædotribarum, & temperatæ dietæ, & exercitationis assiduæ & infinite adeo obseruationis, etenim minimus quisq; rerum illarum contemptus, labefactare oia atq; euertere pōt, qbus forte obtigit Christi corp^o hoc qd dico curandū, cuius quidē exercitatio nō corpora ipa, sed inuisibiles potētias spectat, ij qbus nā

ar

DE SACERDOTIO

artibus conseruare illud syncerum atq; incolume poterunt, nisi omnifariam animæ curationem cōgruam conuenientem atq; humana uirtute longe superiorē calluerint? An ignoras corpus id quod dico plurib⁹ tum morbis, tum insidijs obnoxium esse, quàm caro nostra hæc obnoxia sit? Itemq; & celerius corrumpi, & ægrius sanari? Ac certe humana corpora curantibus, diuersa suppetūt medicamenta. Itemq; & instrumentorum apparatus uarij, & cibi ægrotantibus congrui: plerumq; autem & sola aëris natura satis est ad sanitatē laboranti restituēdam: aliàs etiam somnus qui opportune obrepserit medicum ipsum labore omni subleuat, liberatq;. At uero hic nihil huiusmodi comminisci licet, sed una quædam post operum præstationem ars ac curationis uia tenenda sequendaq; est: nempe sermonis: doctrina, ac uerbi præceptio. Siquidem hoc demum instrumentum est, hoc cibus, hoc aëris temperamentum optimum, hoc medicamento instar, hoc ignis loco, hoc ferri uice: ac si uel urere, uel secare opus fuerit, hoc ipso uti necesse atq; hoc si nihil profuerit, reliqua omnia euanida pcreant oportet. Hoc & iacentem animā suscitamus, & tumescentem compescimus: hoc & superuacanea amputamus, & quæ desunt supplementus, cæteraq; omnia conficimus quæ ad animi cōferūt incolumitatem. Ac sanè ut uitam quàm optime constituas, alterius hominis uita te ad idem exemplum æmulationemq; parem pertrahere possit. Quum uero humanus animus decretorum minime uerorum sententiarumq; à fide abhorrentium

tium

LIBER QVARTVS.

tium morbis laborauerit, hic demū sermonis usus magnopere necessarius, non solum ut qui tibi domestici sunt, robores, atq; confirmes: uerum etiam ut cum externis belligeres, ac manus cōferas. Nā si quis armatus foret tum spiritus gladio, tum fidei scuto, eousq; ut miracula ædere, & per miraculorum æditionem, impudentium maledicorumq; hominum ora obturare possit, huic certe sermonis præfidijs nihil opus fuerit: quin potius ne tum quidem sermonis usus inutilis est, sed admodum necessarius. Quando & beatus Paulus ab eo non abhorruit, tametsi à signis æditis ubiq; in admiratione habitus. Et alius quidam ex apostolis unus hortatur, ut sermonis uim studiose amplectamur, inquit: Parati semper sitis ad re- *1. Petri. 3.*
spondēdum cui libet petenti, ut loquamini de ea, *Actor. 6.*
quæ in uobis est, spe. Atq; adeo uniuersi apostoli, quum unā essent, nullo alio nomine, Stephano eiusq; collegis uiduas regendas commisere, nisi ut in sermonis ministerio uersarent. Veruntamē si contigerit nos aliquid posse, in signis per nos ædendis sermōis studio nō æque erit nobis inuigilandum. Sin ne ullum quidem uirtutis illius uestigium in nobis relictum est, ac multi undecunq; assidue imminent aduersarij: superest necessario, ut nos hoc ipso sermone armemus, muniamusq;: simul ut ne aduersariorum telis feriamur, simul ut illos feriamus.

Caput II.

Qua propter ingens adhibere studiū oportet, ut Christi sermo in nobis largiter inhabitet.

DE SACERDOTIO

habitetur. Neque enim nobis pugnae species una parata est, sed bellum nobis uariū ac multiplex propositum, uarijs multiplicibusque aduersarijs constans, atque instructum. Qui ipsi neque iisdem armis utuntur omnes, neque uno eodemque nos artificio adoriri meditantur, eumque oportet, qui aduersus omnes illos praelio decertaturus sit, omnium artes notas habere, eundemque & sagittarium, & funditorem, & centurionem, & manipuli ductorem, & militem, & ducem, & peditem, et equitem, & naualis & muralis pugnae peritum esse. Etenim in militaribus praelijs quod quisque opus peragendum susceperit, hoc adorientes hostes defendit. Hoc uero haudquaquam hic sic se habet. Nisi enim qui uictoriam reportaturus est, dimicandi artes ad unam omnes sigillatim percalluerit, nouit diabolus uel parte una aliqua, si ea forte neglecta fuerit, piratis suis introductis pecudes diripere. At non ita usuuenit, quum pastorem ille senserit omni esse scientia praeditum atque instructum, insidiarumque omnium suarum probe gnarum. Qua de causa omnibus nos ex partibus munitissimos esse oportet. Nam & ciuitas quandiu muro undique cincta est, eos irridet a quibus obsidetur, praesidio illo tutissima: ubi uero quis murum diruerit ad portulae tantum magnitudinem, tum longe illi abest septi praesidium, etiam si firmum alioqui, ac tutum illud maneat. Haud aliter igitur & dei ciuitas, dum ipsam undecumque pro muro pastoris solertia atque prudentia cingit, aduersarijs suae omnes machinae artesque in opprobrium risumque cedunt, eua-

dunt

LIBER QVARTVS.

duntꝫ qui eam incolunt indemnes atqꝫ illæsi: si autem eam parte aliqua demoliri quis possit, ut uniuersam non diruerit, à parte totum, ut sic dicam labefactatur. Quid enim profuerit aduersus gentiles uiriliter aliquem dimicare, si illum populentur Iudæi? Quid item de ambobus his uictoriam reportare, si Manichæi illum deprædentur? Atqꝫ adeo uel his superatis, si qui dicunt fato omnia regi, pecudes intus iugulent? At quid hic opus est omnes diaboli hæreses sectasqꝫ connumere? certe nisi omnes eas pastor recte nouerit propulsare, poterit lupo uel per unam ex eis tantum, bonam pecudum partem deuorare. Iam in bellis militaribus ab ijs qui stant, ac depugnant forte tum uictoriam, tum cladem expectandum semper est. Hic uero res longe in contrarium cedit. Persæpe enim usuuenit, ut pugna aduersus alios cœpta, ad eos qui ne pugnae quidem initio congressi fuerint, quiqꝫ nihil omnino pulueris bellici hauserint, quiescentes sedentesqꝫ, uictoriam deserat: utqꝫ qui in ijs nō magnopere expertus fuerit, proprio ipse gladio confossus, & amicis & hostibus ludibrio sit. Verbi gratia, periclitabor enim tibi id exemplo planum facere quod dico. Legem quam Moses à deo accepit, qui Valentini ac Marcionis insanū dogma tanqꝫ per manus traditum acceperit, atqꝫ adeo quotquot eadem cum illis sentiunt, de sacrorum scriptorum catalogo delent. Rursus illa eadem Iudæis tam sacrosancta est, ut contendant, tempore etiam id iam uetante, nihil in ea esse quod obseruari non debeat, præter diuinum

DE SACERDOTIO

num etiam placitum. At dei ecclesia utrorumque intemperantiam uitans, mediam uiam secuta est, quæ neq; censet collum illius iugo submittendū, neq; patitur ut illam calumnieris. Sed uel exoletam laudat, quod ea scilicet ad tempus usum atq; utilitatem pepererit. Oportere igitur puto eum qui aduersus utroslibet depugnaturus sit, modum huiusmodi adhibere. Nam si Iudeos docere uolēs intempestiue nunc ueteris legis ceremonijs impediri, acriter increpitare atq; incusare illam cœperit, nimirum hæreticis oblatrare uolentibus ansam non mediocrem dederit: qui si huiusmodi hæreticorum ora obturare uolens, ueterem legem laudibus extulerit immodicis, eam ipsam tanquã hodie quoq; necessariam commendans, fiet ut Iudæis ora laxet. Rursus qui Sabellij insaniam insaniunt, ac quos Arii rabies inuasit, hi quod modū minime seruarint à sana utriq; fide prolapsi sunt: qui iidem Christianum etiam nomen obtinent. At si dogmata examines, alteros inuenies Iudæis nihilo meliores sanioresue, nisi quatenus appellatione tantum inter se differunt, alteros maxime conuenire cum Pauli Samosatensis hæresi: cæterū utrosq; longe à ueritatis tramite aberrare. Magnum igitur hic periculū, arctāq; & angusta uia, præcipitijs utrinq; intercepta: uerendumq; maxime, ne alterum dum ferire uis, ab altero uulnus accipias. Etenim si quis deitatem unam posuerit, hic Sabellius continuo debacchabitur, uocemq; hanc ad suam ipsius insaniam impietatemq; pertracturus est. Sin uero diuisione quis facta alium patrē

LIBER QVARTVS.

patrem, alium filium, alium esse spiritum sanctum dixerit, hic instabit Arius, in diuersitatem essentia, personarum differentiam trahens. Fugienda uero auersandaque est tum illius impia confusio, tum huius insana diuisio, ita ut patris, filij, ac spiritus sancti deitatem unam fateamur, personas quas uocant hypostaseis tres addentes. Hac enim ratione utrorumque incurfiones quasi uallo obiecto impedire poterimus. Sunt item & alij congressus insultusque permulti, quos hic colligere possemus, aduersum quos nisi diligenter fortisque animo decertaueris, fiet ut pugna decedas uulneribus confossus innumeris.

Caput III.

Iam quis numerare queat domesticorum nugas atque contentiones? quae ipsae externis insul-
tibus inferiores quam non sint, maiorem etiam ei qui docere illos uelit sudorem pariunt. Sunt enim alij, quibus praecuriositatis studio temere ac nullo cum consilio sollicite indagare ac scrutari ea placet, quae neque facile disci possunt, neque his utilia esse, qui ea edocti fuerint. Alij rursus iudiciorum diuinorum rationes ab eo postulant, conati abyssum illam magnam dimetiri. Iudicia enim tua, inquit ille, abyssus multa. Item fidei, ac uita institutionis paucos admodum inuenias studiosos, plures autem curiose ea indagantes exquirentesque, quae nequaquam inuenire queas, quorum item exquisitio deum etiam iritat. Nam quoties quae ille noluit nos scire, ediffere conamur, ea ipsi neque sciemus, qui enim deo id nolente?

H peri

DE SACERDOTIO

periculum duntaxat ex ipsa indagatiōe ad extreme-
mum reportabimus. Atq; hæc quum ita sint, tamē
ubi quis autoritate interposita huiusmodi curio-
forum hominum ora obstruxerit, is sibi tum arro-
rogantiæ, tum inscitia notam inurit. Qua de cau-
sa antistitem magnam huc adhibere prudentiam
oportet, ut tum illos ab huiusmodi quæstionibus
abducat, tū eas quas dixi criminationes à se amo-
liatur. Cæterum aduersus hæc omnia nullum aliud
quàm dicendi suppetit auxilium. Qua facultate si
antistes spoliatus fuerit, fiet ut eorum animæ qui
illi subditi fuerint, de ijs loquor qui infirmiores
curiosioresq; sunt, nihilo melius sese habeant, quā
naues eæ, quas assidua maris tempestas exagitat.
Quam ob rem episcopum oportet nihil non age-
re, ut sibi dicēdi facultatem hanc comparet. Atq;
hic **Basilius**. Quid igitur, inquit, Paulus ille facul-
tatis huius sibi parandæ studiosus nequaquam
fuit? qui ne eloquentiæ quidem inopiam dissimu-
lat, sed aperte idiotam se esse profitetur. Idq;
præsertim dum ad Chorinthios scribit uiros ab
eloquentia, in qua magnopere sibi placerent, cla-
ros atq; illustres.

Caput III.

**Chryso-
stomus.**

HOc ipsum, inquā, hoc ipsum certe est, quod
plerosq; perdidit remissioresq; ad ueræ do-
ctrinæ studium reddidit. Etenim quum non pos-
sent illi apostolicæ mentis altitudinem exacte ri-
mari, neque uerborum sensum capere: uniuersæ
ætatis tempus consumpsere in somnolentia atq;
nesciantia, inscitiam eam amplexati, non quam
sibi

LIBER QVARTVS.

sibi Paulus tribuit, uerum à qua tanto ille abfuit interuallo, quanto non alius quisquam eorum omnium hominum qui sub cælo hoc uiuunt, abesse potest. Ceterum propositum hoc aliquantisper à nobis intermittatur. Interim autē illud dicam. Sit nobis Paulus catenus idiota, quatenus illi ijdē eum faciunt. Quid tum? si illum contuleris cum nostræ ætatis hominibus? Etenim facultatem ille obtinuit, orationis facultate multo præstantiorem, ac longe potentio- rem, ac longe potentio- rem. Ostendens enim sese tantum ac tacens, dæmonibus formidabilis erat. Nostri oēs si unū in locum simul cōuenerint, cum infinitis tum precibus, tum lachrymis, nunquam certe tantum possunt, quantum olim Pauli semicincta potuere. Paulus quidem precibus mortuos suscitauit. Præterea alia miracula edidit tam multa, ut apud externos pro deo haberetur: atq; antequam uitam hanc cum morte commutasset, dignus habitus est, qui usq; ad tertium cælum raperetur, uerborumq; particeps fieret, quæ humanam naturam audire nequaquam fas est. At qui hodie uiuunt homines, sed nihil ipse eloqui possum quod molestum, inuidiosumq; sit. Neq; enim hæc dico, quo memoriæ nostræ hominibus insultem, sed quod admirer quo pacto non perhorrescant seipsos tanto uiro conferentes. Nam si miraculis omissis ad illius uitam descenderimus, eiusdemq; mores ac studium uere angelicum excusserimus, per hoc demum Christi athletam magis q̄ per miracula uictoriam reportare uidebis. Quorsum em̄ dicere attinet zelū, mansuetudinē

Acto.ii.

H a con

DE SACERDOTIO

continentia pericula, frequētes curas, perpetuas animi sollicitudines ecclesiarum causa susceptas, commiserationem affectumq; in languētes ægro tantesq;, afflictiones permultas, alias, atque alias persecutiones, quotidianas mortes: Quis enim locus orbis uniuersi, quæ continens, quod mare iusti illius certamina ignorauit? Illum uel deserta atq; inhospita tellus cognouit, atq; adeo periclitantem identidem hospitio excepit. Nam & insidiarum genera omnia pertulit, & nullum non uictoriæ modum expertus est, ut in decertando indefessus, ita in reportanda uictoriæ corona continuus. Sed enim nescio quo pacto eò ipse perductus sum, ut tanti uiri laudes oratione mea cleuarem magis quàm exornarem. Eximia enim illius facinora, ut omnium orationem excedunt, ita nostram tantum superant, quantum ab ijs relinquimur, qui dicendi facultate imprimis excellunt. At qui ne sic quidem, neq; enim euentu, sed animo potius consilium nostrum ille metitur, supersedebo, donec elocutus id fuero, quod tanto est ijs quæ dixi superius, quanto ille mortalibus omnibus excellentior. Hoc igitur quid est? Certe post tam multa egregia facinora, post innumeras coronas in gehennam detrudi, & eterno tradi supplicio optauit, ut Iudæos qui ipsum crebro tum lapidarant, tum etiam quantum in ipsis erat interfecerant, seruaret, & Christo lucrifaceret. Quis mortalium sic Christum desiderauit? si modo desiderium hoc appellandum est, ac non potius aliud quiddam desiderio maius? Etiã ne igitur nos ipsos cū illo cōferamus

remus

LIBER QVARTVS.

remus? Idq̄ post tantam gratiam quam partim
cælitus accepit, partim ex se ipse præstitit? Hoc ue-
ro quidnam esse queat audacius, ac temerarium
magis? Atqui quod unum reliquum est, Paulum
sic idiotam nequaquam fuisse, ut isti existimāt, id
iam commōstrare aggrediar. Isti enim non eum
modo, qui in peregrinæ eloquentiæ præstigijs ty-
rocinium non posuerit, sed etiam eum qui pro tu-
endo ueritatis dogmate depugnare nesciat, Idio-
tam appellant, & recte id quidem. At Paulus non
utrobicq̄ idiotam se profitetur, sed in horum alte-
ro duntaxat. Id quod dum confirmaret, rem dili-
genter admodum diffiniuit, oratione non etiam
cognitione idiotam se appellitans. & certe si hic
exigere uellemus Isocratis tersum leuorem, De-
mosthenis amplam sublimitatem, Thucydidis ue-
rendam maiestatem, Platonis excellentem digni-
tatem, Pauli testimoniū hoc adductum esse oport-
teret. Nunc uero, si placet, omnia illa prætermit-
tentes, ac peregrinæ eloquentiæ ornatum ut su-
peruacaneum ducentes, dictionem, enunciatio-
nemq̄ negligamus, ac nobis orationis paupertate-
tem sic permittamus, ut rerum uerborumq̄ com-
positio nuda nobis ac simplex sit: modo ne quis
in cognitione, atq̄ adeo in dogmatibus diligen-
ter excutiendis idiotam se præstet: neq̄ quo suam
ipsius ignauiam protegat, Paulum illum beatum
ornatu suo maximo, item laude quæ in eo summa
est dispoliet.

Caput V.

H s VN

DE SACERDOTIO

Acto. 9.

VNdenam enim, obsecro, Iudæos eos, qui Damascum incolerent, confudit, signis miraculisq; ab eo nondum cœptis? Unde Græcos idem supplantavit? Quam ob rem autem Tarsum relegatus est? nōne id factum est, posteaquam ui dicendi uictor ille euafisset: sic, ut quum uictos se illi ferre non possent, ad illius cædem inflammati ferrētur? Nondum enim miracula ædere cœperat. Neq; uero dicere quis possit, Paulum ab æditorum miraculorum gloria, a pud multitudinem in admiratione habitum, eosq; qui cum eo congrederentur ab ipsius fuisse existimatione oppressos. Ad id enim usque tempus non nisi ab eloquentia uictoriam de aduersarijs reportabat. Ad

Acto. 17

uersus eos autem, qui Iudaismum sequi in Antiochia cœpissent, quibus auxilijs pugnavit, disputa-

Ibidē .20.

uitq;? Rursus Areopagita ille superstitionissimæ ciuitatis illius ciuis nōne unā cum uxore, audita tantum Pauli concione illū secutus est? Eutyclus uero quomodo de fenestra delapsus est? nōne posteaq; usq; ad multam noctem Pauli docentis orationi intentus operam dedisset? Quid uero in Thessalonica atq; Corintho, quid in Epheso & in ipsa Roma, nōne totos dies totasq; noctes insumpsit, dum diuinas scripturas ordine exponeret? Iam quorsum percensere opus est disputationes eas, quas cum Epicureis Stoicisq; palam habuit? Nam si hic omnia referre uelim, profecto noster sermo in magnam sese longitudinem producat. Quum igitur Paulum constet tum ante miraculorum æditionem, tum in medijs ipsis mira-

Acto. 17

cu

LIBER QVARTVS.

culis magnam adhibuisse eloquentiam, qua fronte iam sustinebunt idiotā illum uocare, cuius magna fuit apud omnes quādisstantis, qua concionantis admiratio? Quam obrem enim Lycaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt? Nam quod Barnabam ac Paulum deos esse crederent, id à signis æditis fiebat. Quod autem Paulum Mercurium esse uellent, id non iam à signis, sed ab eloquentia nascebatur. Quanam autem re prærogatiuam ille uere beatus uir inter ceteros apostolos obtinuit? Vnde item per uniuersum terrarum orbem multus in omnium mortalium ore uersatur? Vnde nō apud nos modo, sed etiam apud Iudeos, ac Gentiles imprimis admirationi est? nōne ab epistolarum facultate ac uirtute? per quam nō eos tantum qui id temporis in Christum crederent, sed eos quoque qui ab eo tempore in hunc usque diem credidere, ac qui postea credituri sunt, tantisper dū ille de unoquoque iudicaturus aduenerit, adiuuit, adiuturusque est? Id quod facere nunquam cessabit, donec mortale genus duraturum est. Eius quidem certe scripta instar muri ex Adamante constructi omnes orbis uniuersi ecclesias quouis in loco positas circumuallant. Idemque ille fortissimi bellatoris exemplo medius etiam nunc stat, captiuam ducens omnem cogitationem ad obediendum Christo, itemque & consilia celsitudinemque omnem aduersus dei cognitionē sese extollentē demolens: que oīa ille perfecit per illas ipsas quas nobis reliquit epistolas admirabiles, easdemque diuina sapiētia refertas. Sūt autē Pauli scripta nobis accommodata, nō

Acto. 14.

DE SACERDOTIO

solum ut notha atq; adulterina à nobis dogmata amoliamur, uerisq; ac germanis nos muniamus, sed etiam ad bene, beateq; uiuendum maximo opere conducentia. Horum enim Antistites etiam hodierni usu ac præsidio castam uirginem, quam ille Christo adaptauit desponditq;, concinnatam deformatamq; ad spiritualem uenustatem pulchritudinemq; perducunt. His item simul irruentes in illam morbos propulsant, simul præsentem conseruant incolumitatẽ. Talia sunt ea ipsa phar maca, quæ nobis idiota ille reliquit, ac tantas certe illa uires obtinent: quorum quidem experimen tum probe admodum norunt, qui assiduum eorũ usum adhibent. Atq; ex his quidem liquido constat Paulum non mediocrem in eloquentiæ studijs operam collocasse.

Caput VI.

1. Tim. 4.

2. Tim. 2.

Ibidem. 3

TV uero audi insuper, quibus ille uerbis discipulum suum hortetur. Læctioni, inquit, operam dato, exhortationi, doctrinæ: quarum rerum & fructum addit, quum ait: Nam si id feceris, te ipsum seruabis, & eos qui te audierit. Ac rursus: Seruum domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine. Ac progressus ait: At tu persistito in ijs, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quod à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere. Ac rursus: Omnis scriptura diuinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutio-

nem,

LIBER QVARTVS.

nem, quæ est iniustitia, ut integer sit dei homo ad
 omne opus bonum apparatus. Audi autem quæ
 ille addat, dum cum Tito de episcoporum con- Titi. 1.
 stitutione differit. Oportet enim, inquit, episco-
 pum tenacem esse eius, qui secundum doctrinam
 est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari
 per doctrinam sanam, ac contradicentes conuin-
 cere. Quo igitur modo qui sic idiota erit, ut hi esse
 uolunt, contradicentes conuincere, eorumq; ora
 obturare poterit? Quorsum uero opus est operã
 nauare lectioni, ac scripturis, si ea à nobis impe-
 ritia amplexanda est? Crede mihi, nihil aliud esse
 omnia ista possunt quàm excusationes quædam,
 quàm socordix atq; pigriciei tituli ac prætextus.
 At uero, inquires, episcopis hæc Paulus præcipit.
 Et nobis sanè de episcopis sermo habetur. Quod
 autem ea etiam subditis præcepta sint, audi rur-
 sus quid Paulus in alia quadam epistola alios cõ-
 mõe faciat: Sermo Christi inhabitet in uobis opu Coloss. 3.
 lente cum omni sapientia. Ac rursus: Sermo uester Ibidẽ. 4.
 semper cum gratia sit sale cõditus, ut sciatis quo-
 modo oporteat uos unicuiq; respondere. Iam id
 quod Petrus uult ut parati scilicet simus ad respõ 1. Petri. 3.
 dendum, omnibus quidem præceptum est. Paulus
 item ad Thessalonicenses scribens: Aedificetis, in-
 quit, singuli singulos, sicut & facitis. Quum autẽ
 de sacerdotibus uerba facit, qui bene præsumt, in- 1. Timo. 3.
 quit, Presbyteri duphici honore digni habeantur,
 maxime ij qui laborant in sermone ac doctrina.
 Hic enim demum doctrinæ terminus consumma-
 tissimus, quum sacerdotes tum factis, tum uerbis

H 5 COS

DE SACERDOTIO

Acto. 20. eos, quos erudiunt, ad beatam illam uitam à Chrīsto institutam conducunt. Neq; enim nuda facta satis sunt ad hoc ut alios edoceas, nisi & cum his uerba accedant. Quæ uox non mea ipsius est, sed seruatoris nostri Iesu. Quisquis enim, inquit, fecerit, simul ac docuerit, hic magn^o uocabitur. Quod si is qui facit, idem & doceret, superuacaneum id certe foret, quod secundum additum est. Dixisse enim satis erat, quisquis fecerit tantum. Cæterum quod utraq; illa distinxerit, ostēdit alias esse operum partes, alias sermonis, atq; utrunq; alterius subsidio indigere ad consummatam ædificationem. An non audis, quid Ephesiorum presbyteris scribat Christi organum illud electum? Propter quod uigilate, inquit, memores, quod per triennium nocte ac die non cessauerim cum lachrymis monere unumquemque uestrum. Porro quis uel lachrymarum, uel commonefactiōis per uerba præstitæ usus, uita in ea apostolica sit radiante? Certe ut mandata obserues, possit uita huiusmodi magna ex parte cōferre: neq; enim illi, quicquid belle ac præclare, gestum fuerit, continuo soli acceptum retulerim.

Caput VII.

Quum autem de dogmatibus exortum fuerit certamen, depugnentq; omnes ab iisdē scripturis, quamnam hic uitæ exemplum facultatem præstare, quamnam uim exhiberi poterit: quidnam uero utilitatis sudores permulti allaturi sunt, quum uel post labores illos exhaustos, à crassa quadam inscitia in hæresim quis delapsus,
ab

LIBER QVARTVS.

ab ecclesiæ corpore abscissus auulsusq; fuerit: qd
quidem scio multis usu uenisse. Quodnam illi tum
fuerit tolerantia commodum: certe nullum. Si-
cut neque fidei integræ atq; incolumis usus fuerit
ullus, si perditæ alioqui ac corrupte uixeris. Qui-
bus de causis cum oportet, qui docendorum alio-
rum munus sortitus est, in primis huiusmodi cer-
taminum peritia ualere. Nam tametsi tutus ipse
perstat, nihilq; prorsus ab aduersarijs læditur, ta-
men simplicium hominum multitudo illi subie-
cta ubi animaduertit ducem uictum esse, ac ni-
hil habere quo se contra aduersarios tueatur, iam
non uicti infirmitatem, sed dogmatis potius im-
becillitatem uitiumq; causantur. Atq; ita demum
ob unius hominis imperitiam multus populus in
extremam perniciem præceps rapitur. Qui quan-
quam haud sese penitus cum fidei aduersarijs
coniungunt, tamen de ijs ambigere coguntur,
de quibus confidere ipsi poterant: & ad quos sese
cum fide inconcussa contulerant, iam non illis
cum eadem constantia attenti esse possunt: Ve-
rum tantus æstus atque tempestas illorum ani-
mos infestat superato præceptore, ut malum
ipsum in naufragium tandem erumpat. Quan-
ta autem pernicies, quantus item ignis in infe-
lix miserumq; illius caput aggregetur, singulis
quibusq; ex subditorum numero pereuntibus,
nihil opus est ut te hic doceam: qui per te ipse
omnia ad unguem nouisti. Hoccine igitur est ar-
rogantia, hoccine innanis gloriae facinus, qd mihi
impingitur: quod scilicet recusauerim tã multam

anima

DE SACERDOTIO

animarū interitus autor fieri, ac mihi maius supplicium accersere, quàm præparatum alicui destinatumq; post obitum fuisset? Quisnam uero id mihi uitio uerterit? certe nullus, nisi si quis insanire, ac nulla cum ratione expostulare, inq; alienis calamitatibus philosophum agere uolet.

LIBRI IIII. FINIS.

HAEC INSUNT IN LIB. V.

Caput 1.

Sermones sacerdotis quos ad populum habet & labore, & studio elaboratos esse oportet.

Caput 2.

Ordinatus ad hoc negliget uulgi leuia encomia & honores publicos: nec ad docendum ineptus esse debet.

Caput 3.

Nisi ita se habeat, ut utroque gaudeat inutilis populi minister est.

Caput 4.

Quod præfracto erit aīo aduersus inuidentiā.

Caput 5.

Quod eruditus plus studij & diligentiae opus fit quam inerudito.

Caput 6.

Quod iudicium multitudinis imperita neq; pernitus conterendū sit, neq; ex omni parte intuendū.

Caput 7.

Quod omnes suos sermones ut deo tantū placeat dirigere debet.

DIVI

DE IOAN-

NIS CHRYSOSTOMI DE SA

cerdotio liber quintus eodem
interprete.

CAPVT I.

IAM QVANTVM experientiae, atq[ue]
exercitationis episcopum ad agendas ueritatis tuendae causas afferre oporteat, satis superque demonstratum nobis puto, dicendum autem aliud quiddam superest, cuius causa infinita alia existunt pericula, seu ut uerius dicam, non eius certe causa, sed ipsius potius autoribus, qui eodem recte uti nesciunt. Quandoquidem res ipsa & salutis, & plurimorum bonorum conciliatrix est, si illius administratio in studiosorum ac proborum uirorum manus ceciderit. Id igitur quid est? Nempe labor ingens concionibus, disputationibusq[ue] illis quae publice ad populum fiunt, impensus. Primum enim bona subditorum pars nolunt se ad concionantes episcopos sic accommodare, ut se ipsi ad praecceptores audiendos accommodant: sed discipulorum ordinem conditionemq[ue] supergressi, spectatorum eorum conditionem usurpant qui in theatris stadiis uel certamina spectaturi ociose sedent. In quibus quemadmodum solenne esse uidemus: ut multitudo in contraria scindatur studia, alijs huic, alijs illi applaudentibus: ita sane & hac in parte discissi, alij cum hoc, alij cum illo sese coniungunt, alias ad gratiam, alias ad inuidiam dicenti aures acco-

acco

DE SACERDOTIO

aecommodantes. Neq; uero id solum molestum
 est, sed & aliud quiddam, hoc ipso nequaquam in-
 ferius. Nam si quem forte ex concionatoribus cō-
 tingerit partem aliquam eorum, quæ ab alijs elabo-
 rata fuerint, suis ipsius concionibus intertexe-
 re, certe pluribus opprobrijs obnoxium se facit,
 quàm qui alienas opes suffurantur: quum alioqui
 etiam sæpe fiat ut concionator ne aliunde quidē
 mutuatus quicquam, sed ea de re tantum suspe-
 ctus, instar furis alicuius in ipso furto deprehensi
 habeatur. Et quid dico, eorum, quæ ab alijs elabo-
 rata fuerint? Certe ne illi quidem licet suis ipsius
 inuētis assidue uti. Aures enim suas uulgus assue-
 fecere, ut nō ad utilitatem, sed ad uoluptatem po-
 rius audiāt: quod faciunt qui uel de tragædis, uel
 de citharædis iudicaturi sedent: atq; adeo dicendi
 uis illa quam haud ita dudum explodebamus, hac
 in parte tantum sui desiderium præbet, ut ne in
 rhetoribus quidem ipsis, quum illi inter se concer-
 tant, tanta requiratur.

Caput II.

Hic ergo generoso opus est animo eosq; qui
 longe exiguitatem hanc superet, ut multi-
 tudinis uoluptatem illam immoderatam, infru-
 ctuosamq; compescat, possitq; illorum auditionē
 ad id quod utilius futurum sit transferre, hac ra-
 tione ut populum se sequentem, ac sibi obsecun-
 dantem habeat, non etiam ut ipse à populi desi-
 derijs agatur: id quod præstare nemo potest, nisi
 idem simul popularem auram aspernetur, simul
 dicēdi uim obtineat. Quorum utranq; nisi adfue-
 rit

LIBER QVARTVS.

rit, certe alterum alterius auxilio destitutum nulli usui esse possit. Nam si is laudum titillationem forti animo contemnens, tamen non exhibuerit doctrinam sale ac gratia conditam, fiet ut à multis despicabilis habeatur, nullo prorsus lucro cōmodōue ab animi magnitudine illa accepto. Rursum si dicendi partem optime præstare potens, à plausu atq; aura populari uincatur, tum ipsi, tum multitudini quæ audit, damnum detrimentumq; idem propositum, hoc ipso quod laudum ille suarum desiderio captus ad auditorum gratiam magis, quàm utilitatem dicendi uim exercet. Ac quæ admodū nescio quo pacto fit, ut qui nulla ex parte popularibus laudibus capitur, quiq; idem dicendi est imperitus, is neq; obsecundare multitudinis uoluptatibus possit neq; rursus auditoribus magno admodum usui adiumentoq; esse, propterea quod nullis eloquentiæ doctrinæ ue præsidij instructus est: sic qui laudum desiderio trahitur, is quum doctrina, eloquentiaq; sua multitudinem reddere meliorem possit, mauult certe, ut laudes eas quas à multitudine accepit, rependat, ea in medium afferre, quæ auditores delectare possunt, his ipsis populares plausus clamoresq; captans. Eum igitur qui optimus, populi auctor futurus sit, utraq; illa dote præditum esse conuenit: ut ne altera si abfuerit, alteram subuertat.

Caput III.

Quoniam enim in medio exurgens, oransq; populo, ea eloquutus fuerit, quæ ociosorum hominum
ignis

DE SACERDOTIO

ignauiam atq; socordiam perstringere possunt, ac deinde labatur & intercidat illius oratio, tum uero prædicendi inopia erubescere ille cogatur, diffluit continuo, atq; euanescit omnium eorum quæ dixerit lucrum. Mam qui ab eo perstricti fuerint, illius uerbis succensi, dum alia rependere non possunt, ignorantia commatis eum lacesunt, his arbitrati sua ipsorum opprobria adumbrare. Propterea oportere episcopum puto aurigæ optimi exemplo utrasq; illas uirtutes diligenter attemperare, ut ipsi liceat illas simul rite, atq; ordine pertractare: quum enim talem se præstiterit, ut à nemine reprehendi possit, tum poterit cū quanta uoluerit libertate subditorum suorum omnium delicta aliàs castigare, aliàs remittere: prius autem, hoc illi haud facile factu fuerit.

Caput III.

PORRÒ animi magnitudinem sic eum præstare oportet, ut illam non solum intra popularium laudum contemptionem contineat, sed & ulterius promoueat, ut ne rursus lucrum id quod captat imperfectum maneat. Quidnam igitur aliud contemnere illum conuenit? liuorem, atq; inuidentiam. Intempestiuas autem insimulationes, quippe antistitem necesse est absurdas etiam deuorare criminationes, neq; præter modum uereri ac reformidare, neq; rursus leuiter despiceri conuenit: sed te oportet ut falsæ etiam existant, ut à plebeis ac contemptis hominibus in te contorqueantur, contendere ut eas statim extinguas. Nulla enim res alia magis famam auget, uel bonam
uel

LIBER QUINTVS.

uel malam, quàm uulgus incompositum: ut quod
citra omnem delectum, ac iudicium & audire, &
cloqui quum assuefecerit, id omne quicquid occur-
rerit temere proloquatur, nulla prorsus ueritatis
ratione habita. Quamobrem te non oportet uul-
gus ipsum contemnere, quin potius suspiciones
prauas statim atq; exortæ illæ fuerint, intercide-
re: blande item appellare eos qui te infimulaue-
rint, ut illi etiã qui iniquissimi sint: ac nihil pror-
sus omittere rerum earum, quæ prauam de te opi-
nionem delere possint. Sin uero omnia quum
præstiterim⁹, noluerint qui nos accusant acquie-
scere, tum demum contemnere eos licebit. Quan-
doquidem si quis ob populi scommata huiusmodi
animo statim deijci cœperit, is certe nihil unquã
quod generosum admirandumq; sit parere pote-
rit. Siquidẽ mœstitia, itemq; curæ ac sollicitudi-
nes perpetuæ animi uim maxime possunt pro-
sternere, eundemq; ad summam etiam imbecilli-
tatem perducere. Oportet igitur similiter episco-
pum erga subditos affici, ut si pater erga liberos
suos admodum infantes afficeretur. Ac quemad-
modum illis neq; insolescentibus, neq; cædentibus
neq; lugentibus solliciti animo sumus, ac ne quũ
nobis quidem arriserint magnopere laboramus,
sic nos oportet neq; uulgaribus laudibus intume-
scere, neq; probris animum despondere, si quan-
do ea intempestiue erumpere uideas. Istud uero
difficile admodum ac fortasse tale, ut præstare id
nemo possit: suas enim aliquem laudes audire, ac
nihil inde delectari, nescio an cuiquam unquam

I mor

DE SACERDOTIO

mortalium obtigerit. Iam consentaneum quidem est, ut qui laudibus delectetur, idem illis etiam frui appetat: eum porro qui frui appetit, omnino necessarium est moestitia, ac dolore affici, quoties illas non potest assequi. Nam quemadmodum quos diuites esse iuuat, si quando in paupertate inciderint, moerore afficiuntur, & qui delicijs assueuere, tenuem ac simplicem uictum tolerare nunquam possint: ita qui laudum amore capti sunt, non solum quum iniuste uituperantur, sed etiam quum ab alijs assidue non laudantur, quasi fame aliqua animum conficiunt. Idcirco potissimum, si in ipsis laudibus educati fuerint: aut si alios apud se laudari audierint. Quum uero cum laudum appetentia huiusmodi in docendi certamine perierit, quam multis illud negotijs, quam multis animi doloribus obnoxium putas? Certe neque mare unquam potest undis carere, neque illius animus curis atque angustia. Nam si is forte fuerit magna dicendi uis praeditus, hoc autem paucorum quidem est hominum, ne sic quidem ab assiduo labore liberare se potest. Etenim quum quidem non natura, sed disciplina eloquentiam parit, quum ad illius etiam fastigium quis peruenerit, tum certe ab ea ipse destituetur, nisi continentis studio, atque exercitatioe uim huiusmodi excoluerit.

Caput V.

Quo fit ut qui peritiores iam sunt, ijs maior quam uel ipsis imperitioribus labor sit propositus. Neque enim par atque eadem iam iactura hos atque illos manet, si rem uterque neglexerint. Verum tanto ea maior est iactura, quanto inter se interuallo possessio utraque, hoc est & peritia & impe

LIBER QUINTVS.

Imperitia dissident. Imperitos quidem nullus in
 ius uocet, si nihil illi attulerint quod eruditum
 atq; eloquens sit. At periti nisi semper e penu sua
 uberiora quædam, & quæ eloquentiæ opinione,
 quam uulgo iam receptam habent, maiora sint,
 protulerint, nimirum auditorum omnium crimina-
 tionibus obnoxij sunt: adde qd illi uel à medio-
 cri eloquētia magnas etiā laudes assequi possint:
 horū uero sermo nisi apprime admirabilis atque
 adeo stupēdus fuerit, tm̄ abest ut laudatores inue-
 niat, ut etiā accusatores permultos cōciliet. Neq;
 enim auditorum confessus magis ex præiudicata
 iam dicentium existimatione opinioneq; quàm
 ex ijs quæ dicunt iudicium facturus est. Quapro-
 pter quū quis cæteris eloquentia præstiterit, tum
 demum illi imprimus studio, ac labore opus est.
 Neq; enim prætere potest id excusationis ge-
 nus, quod naturæ humanæ commune est: fieri sci-
 licet non posse, ut omnibus horis sapias. Verum
 nisi ubiq; dicta illius omnia existimationis ipsius
 magnitudini responderint: infinitis certe cum scō-
 matis, ac criminationibus à populo acceptis do-
 mum se recipiet. Quum interim nemo existat qui
 secum reputet uel tristitiam aliquam, uel angos-
 rem, uel sollicitudinem nonnunquam, item & irā
 quæ in animum irruerit solere mentis aciei tene-
 bras offundere, neq; sinere ipsos animi fœtus pu-
 ros syncerosq; euadere: præterea fieri omnino
 nequaquam posse, ut qui homo ipse sit, ubiq; eun-
 dem se præstet: ac quicquid tentauerit, id omne ut
 prospere illi succedat: At consentaneū quidem est.

I a se,



DE SACERDOTIO

se, & ut nonnunquam aberret, ac se ipse inferior
appareat: quarum rerum omnium nullam illi, quod
iam dixi, considerare uolunt: quinimo sic in illum
crimina impingunt, ut si angelo iudices essent.
Quum alioqui etiam natura comparatum uidea-
mus, ut alterius facinora atque officia quantumuis
licet multa ac magna despiciamus: si uel leue
quidpiam in eo desideretur, isque uel ex longo in-
teruallo aberrauerit, id plebs statim per sentit,
prompte mordet, atque ubique meminit. Arque hoc
ipsum paruum licet ac tenue multorum eorumque
magnorum uirorum gloriam identidem eleua-
uit. Vides itaque maiori opus esse studio, ei impri-
mis, qui dicendi praestantia ualeat, ac praeter stu-
dium tanta item tolerantia, quanta ne illis quidem
omnibus, quos tibi prius nominavi, opus fuit. Etenim
illum permulti temere, ac nullo consilio identidem
adoriuntur, qui ipsi nihil aliud habent, quod incu-
sent, nisi quod illum aegre ferunt apud omnes in-
clarefcere: quo magis illorum fortiter, ac genero-
se ferenda est inuidia. Cuiusmodi odium exc-
crabile quod temere illi collegere, occultare ac dis-
simulare quum ipsi non possint, clam conuiciantur,
incusant, calumniantur, malitiae etiam suae ui-
rus palam diffundunt. Animus autem is, qui ad il-
la singula dolorem alicquem concipere, atque inde
irritati coeperit, non potest quin eo statim dolore
arrodat, atque conficiatur: neque enim illum
per sese ipsi ulciscuntur tantum, sed id etiam alio-
rum opera aggrediuntur: ac saepe fit ut unum ali-
quem ex eorum numero, qui dicendi facultate
minime

LIBER QUINTVS.

minime ualeant, eligant: eundemq; laudibus in cę-
lum extollentes, supra dignitatem admirentur:
alios ad id insania, alios inscitia, alios inuidia im-
pellente: non quidem ut illius eloquentiam admi-
rabilem reddant, quę talis etiam ipsa non sit: sed
ut huius gloriam eleuent atq; extinguant. Neque
uero contra huiusmodi aduersarios athletę illi
certamen modo propositum est, sed & sæpenu-
mero contra uniuersi populi imperitiam. Nam
quandoquidem ex elegantibus eloquentibusq; ui-
ris auditorum in unum coęuntium cōsessus haud
quaquam conflatur: uerum bona concionis totius
pars ex imperitis constat, sunt autem reliqui &
ipsi illis quidem prudentiores, ijdem tamen tanto
ijs inferiores, qui de dicendi facultate iudiciũ fer-
re possunt, quanto iisdē reliqui omnes, porro unus
tantum aut alter in concione assidet, qui dicendi
uirtutē huiusmodi obtineat: fit necessario, ut qui
doctius, atq; eloquentius dixerit, minus plausum
reportet: aliquoties autem, ne laudatus quidem
discedat, ac certe operę precium esse puto animũ
contra huiusmodi ineptias atq; absurditates ge-
nerose præparare, ijsq; ignoscere, qui inscitia pec-
cant, eos uero qui inuidia adducti hoc facere susti-
nent, ut infelices ac miserabiles deplorare, neutro
autem horum existimare episcopus debet, de sua
dicendi facultate quicquam detractum. Neq; em̄
si pictor, qui optimus quidem sit, quiq; omnes pin-
gendi arte præcellat, imaginem accuratissime à
se expressam ab imperitis artificij illius uellicari
uideat, conuenire puto, ut animum statim despon-

DE SACERDOTIO

deat picturamq; ab imperitorum iudicio ineptam
censeat: perinde atq; neque eam quæ uere inepta
fit, ob eorum stuporem, qui pingendi rudes igna-
riq; sunt, admiratione, amore, atq; amplexibus di-
gnam censere ipse dubet.

Caput VI.

SIt enim optimus opifex suorum quisq; ope-
rum iudex, atq; is quidem opera ea quæ facit,
hac ratione uel uenusta, uel inepta iudicet, quum
mens atque ingenium, cuius industria opera ipsa
deformata fuerint, tale de illis suffragium, iudici-
umq; tulerit: aliorum autem opinionem errantem,
atq; arte carentem sic reiiciat, ut ne in animi qui-
dem cogitationem descendere permittat. Haud ali-
ter sanè, qui aliorum edocendorum prouinciam
susceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat,
neue ijs animum despondeat. At orationes hoc cõ-
silio meditatus, ut deo Opt. gratæ atque acceptæ
sint, hunc unum sibi statuatur canonem, ac terminum
optimi iularum opificij, non plausus ac laudatio-
nes. Laudatur is ab hominibus: laudes ne reiiciat.
Laudes ab auditoribus illi negantur: eas ipsas ne
ambiat, neu negatis indoleat. Abundans enim illi
fuerit laborum solatium, idq; omnium certe maxi-
mum, si sibi ipse conscius esse potuerit, ad hanc se-
rationem, doctrinam, eloquentiamq; suam com-
posuisse atq; adaptasse, ut deo illa placens acce-
ptaq; foret.

Caput VII.

ET enim si illius animum iniquarum laudum
appetentia prius occupauerit, ei certe nihil
sude

LIBER QUINTVS.

sudores laboresq; illi improbi, nihil dicendi uis il-
 la ac facultas profuerit. Humanus enim animus
 is qui temeraria ac cæca uulgi iudicia ferre mini-
 me potest, statim fathiscit, studiumq; ipsum litera-
 rum abiicit. Quam ob rem imprimis erudiendus
 is est, in laudum contemptu ac despicientia. Neq;
 enim satis est eloquentia præditum esse ad dicen-
 di facultatem hanc conseruandam, nisi is ipse,
 quem dico, laudum contemptus adfuerit. Quod
 si quis rem ipsam ad calculos exacte exigere ue-
 lit, & illi quoq; qui facultate ista caret, comperiet
 nihilominus opus esse contemptu isto laudum,
 quàm ei opus sit qui admodum eloquens sit. Nam
 si à popularis auræ illecebris uinci se ille patietur,
 necessario fiet, ut multis in rebus delinquat: ut qui
 quum non possit claros illustresq; illos dicendo
 æquare, non deprecabitur aliàs illis insidias para-
 re, aliàs inuidere, aliàs iniuste detrahere, multaq;
 alia ad genus præter decorum committere: quini-
 mo nihil non audebit, uel usq; ad animæ exitium,
 ut illorum gloriam ad suæ tenuitatis humilitatē
 deducat. Adde quod à studiorum sudoribus labo-
 ribusq; abstinebit, tãquam torpedine quadam il-
 lius animo circumfusa. Quisquis enim post im-
 mensos labores susceptos laudis fructum infe-
 riorem reportat, is nisi se ipse prius ad laudum
 contemptum gnauiter composuerit, nimirum ani-
 mum statim despōdere, eundemq; ad altam quan-
 dam somnolentiam conuertere solet. Quan-
 do & agricola dum in steriliū locorum cultu
 ac labore uersatur, ac lapidosam noualem arare

I + cogi

DE SACERDOTIO

cogitur, statim labore superfeddit, nisi illū uel agricolationis studium uehemens, uel famis timor ingruentis detineat. Etenim si quibus dicendi facultas magna inest, ut donum illud conseruent, tanta opus est exercitatione: qui facultatis illius nihil comparauerit, sed in medijs ipsis dicendi certaminibus, in ipso concionum agendarū studio meditari cogitur, is quantum, quæso, subiturus est difficultatis, quantum tumultus, quantum turbulentiæ, ut magno suo labore tantillum aure popularis sibi conciliet? sin uero quisquam existet qui uel inferiorem episcopo dignitatem atque ordinem sortitus, hac sanè in parte plus quàm ille clarescere possit, hic demum diuino quodam animo opus est, ut ne uel inuidia uincatur, uel animi desperatione opprimatur. Ab inferioribus enim dicendi gloria uinci cum qui dignitate præcellat, remq; fortiter ac generose perpeti, id certe non cuiuslibet neq; nostri sanè fuerit, sed adamātini potius cuiusdam animi. Porro qui sic excellit, hic si humano forte, ac modesto animo præditus fuerit, malum utique utcunque tolerandum. Sin & audaculus, & arrogans, & gloriolæ sitiens, nimirum mors aduersario quotidie optanda: usq; adeo amarulentam ei uitam riualis reddit, in propatulo exuperans, clam subsannans, pleraque de illius autoritate identidem uellicans, omnia ipse esse cupiēs: quarum rerum omnium maximum sibi præsidium facit, tum eam quam in dicendo usurpat libertatem, tum multitudinis in se studium, tum subditorum erga se omnium dilectionem. An tu igno-

ras

LIBER QUINTVS.

ras quantus iam ornate copioseque dicendi amor,
 quantum studium in Christianorum animos inua-
 dat, ac tanquam debacchetur? quantoque iam in precio
 habeantur, qui studium id excolunt: non apud exter-
 nos tantum, sed etiam apud eos qui Christianae
 pietatis partes sequuntur? Qui igitur tantum de-
 decus quis ferat? quum ipso scilicet dicente tace-
 ant omnes ac sese obturbari existiment, tum uero
 orationis finem quasi laborum requiem quan-
 dam expectent, alterum autem uel diu admodum
 orantem, patienter auscultent, & dicendi finem
 facere uolentem ægerrime ferant? denique quo iam
 filere uolente iritentur, commoueanturque? Hæc
 enim etiam si tenuia tibi ac despicabilia inexper-
 to uideantur, tamen eiusmodi sunt quæ possint
 tum studij uehementiam extinguere, tum animum
 ipsum eneruare, atque dissoluere: nisi si quis à per-
 turbationibus humanis omnibus sese asserens ad
 incorporearum potentiarum exemplum animum
 ipse suum composuerit: quæ quidem neque inuidiæ,
 neque gloriæ studio, neque alteri id genus morbo ob-
 noxiæ sunt. Proinde si quisquam est mortalium
 omnium talis qui bestiam hanc captu difficilem,
 indomitam, ac truculentam, nepe aurem popula-
 rem conculcare, ac multiplicia illius capita exci-
 dere possit: imo uero si quis est, qui illam ne initio
 quidem enasci patiatur, hic sanè facile poterit co-
 plures insultus istos à se depellere, ac sereno ali-
 quo portu tandem frui: qui si ab ea sese non asserue-
 rit, idem hic multiplex bellum, tumultum perpe-
 tuum, denique desponsionis animi reliquorumque



morborum turbam aduersum se depugnaturam
præparabit. Iam quorsum attinet reliquas diffi-
cultates persequi? quas quidem nemo neque doce-
re, neque differere poterit, nisi qui in re præsentē
uenerit, rerumque ipsarū administrationē subierit.

LIBRI V. FINIS.

HAEC INSUNT IN VI. LIBRO.

Cap. 1.

Quod pœnis subiaceant sacerdotes, etiam pro
populi delictis.

Caput 2.

Quod plus uitam & mores curabunt quàm
solitariè degentes.

Caput 3.

Quod facilius sit ratio sibi uiuentium, quàm ec-
clesiam gubernantium.

Cap. 4.

Sacerdos terrarum orbi præpositus uidetur.

Cap. 5.

Quoniam aptabit se sacerdos ad omnia.

Cap. 6.

Quod non ita monachisare, quàm multitudini-
nis curam habere probitatis signum est.

Cap. 7.

Quia non eadem ratione solitarius, & publi-
cus ecclesiæ minister uitam instituit.

Caput 8.

Quod facilius ij qui multos curant, quàm sibi
& solitarie uiuunt, uirtutem exercere possint.

Cap.

LIBER SEXTVS.

Cap. 9.

Non esse contemnendas uulgi suspiciones quæ
uis manifeste falsas.

Cap. 10.

Quod non magni negocij sit seruare seipsum.

Cap. 11.

Quod longe grauior pœna maneat sacerdoti-
bus peccantibus, quàm idiotis.

Cap. 12.

Ex exemplis probatio, & laboris quæ fit per
officium sacerdotis & timoris expectatio.

Cap. 13.

Quod omni pugna uehementior sit assultus
in nos diaboli.

¶ D. IOAN.

NIS CHRYSOSTOMI DE SA

cerdotio liber sextus eodem

interprete.

CAPVT I.

ET CERTE HOC in orbe dum ui-
uitur, huiusmodi res existunt, cuiusmo-
di ex me audiisti: Vita uero defunctis
quemnam in modum ea à nobis feren-
tur, quæ tum ferenda erunt, quum nos uidelicet
pro his sigillatim omnibus, qui nobis concreditum
fuerint, rationem reddere cogemur? neque enim
dede

DE SACERDOTIO

Heb. ult.

Mat. 18.

1. Cor. 8.

dedecoris tantum, atque ignominiae poena, sed etiam
aeterni supplicij multa nos illic expectat. Illud
enim: parete ijs qui praesunt uobis, & concedite:
nam illi uigilant pro animis uestris, tametsi prius
iam a me dictum est, tamen ne nunc quidem reti-
cebo. huius enim comminationis terror, animum
mihi concutit. Nam si ei qui unum aliquem dunta-
xat offenderit, expedit ut mola asinaria suspen-
datur e collo ipsius, ac demergatur in profundum
maris: Item si qui fratrum suorum conscientiam
offendunt, ij omnes in ipsum Christum peccant:
qui non unum, non duos, non tres tantum, sed ta-
men multos etiam populos perdiderint, illis quid-
nam continget? ac quamnam illi poenam sunt pen-
suri? neque enim licet imperitiam excusare, neque ad
ignorantiam confugere, neque aut necessitatis, aut
uiolentiae speciem opponere. Verum subditus po-
tius aliquis, si modo id liceat, suis ipsius, quam an-
tistes aliorum peccatis excusandis suffugio hoc
uti possit, quam ob rem? quando quidem qui dele-
gatus est, ut alienam emendet ignorantiam, tum
uero diabolicum instare bellum denunciaret, is cer-
te ignorantiam praetendere minime poterit, neque
uocem hanc usurpare. Tubam non exaudiui, bel-
lum non prauidi. Quippe in hoc sedet ille, ut Eze-
chiel ait, ut alijs signum tuba canens det, & quae
futura sunt incommoda praenunciet. Quo nomi-
ne supplicium nulla excusatione depellere poterit,
quamuis unius duntaxat animae iactura accide-
rit. Si enim dum romphaea imminet populo tuba
signum non dederit, neque praenunciauerit, inquit
ille

LIBER SEXTVS.

ille, speculator, ac gladius animam inuaserit, ipsa quidem anima à sua ipsius iniquitate capta fuerit sanguinem autem ipsius ex speculatoris manu exquiram. Desine ergo nos obtrudere in sic inuitabilis iudicij aleam. Neq; enim nobis hic res est de ducendis militibus, aut de regno administrando, sed de functione ea quæ angelicam uirtutem requirit. Etenim sacerdotis animum solaribus radijs puriorem esse oportet: ut nequando spiritus sanctus desolatum illum relinquat, ut dicere illi liceat: Viuo equidem non amplius ego, uiuit autem in me Christus. Nam si qui eremum inhabitant, quiq; iidem procul tum ab urbe, tum à foro, tum à tumultibus illinc enascentibus securi, liberiq; uiuunt: deniq; qui assiduo portus tranquillitate perfruuntur, tuto uitæ illius præsidio fidere nolunt, quinimo infinitas quoq; alias addunt custodias, undecunq; seipsos circunsepientes, magna adeo cum diligentia & dicere & facere omnia adlaborantes, ut cum libertate ac puritate aliqua synce-
ra, quantum humanus captus ferre potest, ad dei conspectum accedere possint: quantam putas sacerdotem præstare debere tum uim, tum potentiam, ut animam suam ipsius ab omni uindictæ foeditate: ut spiritualem pulchritudinem illaenam, atq; incolumen seruet?

Caput II.

ET enim multo maior uitæ integritas huic, quàm illis necessaria est. Iam cui integritas maior necessaria est, hic certe pluribus quàm illi
iudem

DE SACERDOTIO

eadem casibus, subiacere cogitur, qui eum conspuere
possunt, nisi continentem sobrietatem, ac ue-
hemens admodum studium adhibens, animum
imperuium, impenetrabilemque præstiterit. Nam
& oris decor, & motuum exquisita mollities, &
incessus affectatum studium, & uocis confractio,
& oculorum, & malarum pigmenta, & cincinno-
rum compositiones, & capillitij tinctura, & ue-
stium sumptuosarum auratarumque diuersitas, &
gemmarum pulchritudo, & unguentorum fra-
grantia, & cætera omnia, quæ muliebri genus af-
fectare solet, talia sunt quæ animum commouere
possint, nisi is continentia austeritate occalluerit.
Proinde ab ijs quæ dixi commoueri mirum ne-
quaquam est: cæterum per alia quædam, quæ his
contraria sint, diabolus ferire, humanasque ani-
mas misso uelut telo configere posse, id uero stu-
poris ac dubitationis plenum est. Pridem enim
nonnulli, qui retia illa quæ dixi euaserant, à lon-
ge diuersissimis capti sunt. Nam & neglecta oris
facies, & squalida coma, & sordida uestis, & habi-
tus incompositus, & morum simplicitas, & sermo
simplex, & incessus in affectatus, & uox minime
figurata, & paupertatis contubernium, & sui con-
temptus, & libera item solitudo ad misericordi-
am primum pellexerunt eum, qui ea cerneret,
deinde uero eundem ad extremam perduxere per-
niciem: permultique inuenti sunt, qui priora illa re-
tia quum effugissent, retia inquam ex auro, ex un-
guentis, ex uestibus sumptuosis, cæterisque quæ cõ-
numerari, contexta, in hæc longe ab illis diuer-
sa,

LIBER SEXTVS.

sa, facile inciderint, hisq; perditum tandem fuerint.
Quum ergo & per paupertatem, & per opulentiam, & per habitus elegantiam eiusdemq; negligentiam, & per mores tum incompósitos, in summa quum per ea quæ dixi omnia in spectantis animo prælium accenditur: illumq; doli, fraudes, artificia undiq; circumsistunt, unde illi quæso, respirare dabitur, inter tot laqueos medio? quasnam uero latebras nancisci poterit? non dico ne uel ipse captus succumbat, hoc enim non admodum difficile, sed ut suum ipsius animum à fœdis cogitationibus inconcussum afferat. Ac certe nihil hic loquor de honoribus, malorum infinitorum autoribus. Honores enim ij, qui à mulieribus deferuntur, temperantiæ contentionem eneruant, ac perfundant sæpenumero: quoties quis assiduam uigilantiam aduersus huiusmodi insidias afferre nescierit. Rursus honores eos, quos uiri tribuunt, nisi quis magna cum animi constantia admiserit, morbis duobus contrarijs capitur, quorum alter est adulationis seruitus, alter arrogantia amantia, dum hinc sui palpatoribus, adulatoribusq; sese submittere, hinc propter honores eos quos illi ijdem tribuunt, aduersus tenuiores cristas tollere, atque adeo in fastidij ac contumaciæ barathrum præceps ferri cogitur. Dicta quidem à nobis sunt hæc, cæterum quàm detrimentosa ipsa sint, nullus certe nisi qui expertus sit, recte nouerit. Neque enim solum hæc, uerum longe his tum maiora, tum periculosiora subire illum necesse est, qui ipse medijs inter homines uersetur.

Ca

DE SACERDOTIO

Caput III.

AT qui solitudine delectatur, is omnium horum immunitatē consequitur. Cui si quando absurda quædam animi cogitatio simile quid oculis repræsentauerit, infirma tamen imbecillatq; est imaginatio huiusmodi, ac talis ut statim extingui atq; interimi possit, propterea quod extrinsecus materia nulla subest: qua cogitationis flamma illa coalescere possit. Ac monachus quidem sibi uni tantum timet, qui si quando aliorum curam suscipere cogitur, certe paucissimi illi sunt. Illi autem si forte plures erunt, tamen pauciores his futuri sunt, qui in ecclesijs uiuunt: in dem sui ipsorum curas, sollicitudinesq; leuiiores, ac minus molestas præfecto suo exhibentes, non tam propter paucitatem, quàm quod omnes illi mundanarum rerum securi uiuunt, ac neq; liberos, neq; uxorem, neq; aliud quicquam id genus animo uersare possunt. Quæ sanè res facit, ut qui illis præfectus sit, eos sibi facile parentes, ac communi secum contubernio utentes habeat: intantum ut illorum lapsus exacte tum intueri, tum emendare possit. Affert autem non modicum ad uirtutis studia incrementum assidua magistrorum cura. Eorum uero hominum, qui episcopo subditi sunt, bona pars uitæ humanæ curis uincti distringuntur, id quod pigriores ignauioresq; illos reddit ad spiritus opera peragēda. Vnde & episcopum necesse est in singulos, ut sic dicam, dies sementem facere, ut ipsa saltem assuetudine, præceptionis sermonem auditorum animi retinere possint. Nam & opulentia
ingēs

LIBER SEXTVS.

ingens, & potentia amplitudo, & languor à deli-
cijs exoriens, itemq; & multa alia his addita semē-
tes semel iactas suffocant, nonnunquam autem
& spinarum densitas ne ad terræ quidem superfi-
ciem sementem ipsam decidere patitur. Adde
quod afflictionis excessus, & paupertatis uis, &
molestia assidua, & alia id genus prioribus illis
contraria humanos animos à diuinarum rerum
studio abducunt. Peccatorum autem, quæ subdi-
torum quisq; cōmiserit, episcopo ne minima qui-
dem pars nota esse potest. Qui enim nota foret?
quum eis plures ne de facie quidem ille nouerit?
ac talem certe, tantamq; episcopo populi regen-
di cura molestiam difficultatemq; affert. Quod si
exanimare ea quis uolet, quæ illum præstare er-
ga deum oportet, quæ dixi, præ illis nihil pror-
sus esse comperiet, tam ingēs, tam sollicitum, tam
exactum eadem studium requirunt.

Caput III.

EVm enim, qui pro ciuitate ipsa tota, quid dī
co ciuitate? imò uero pro uniuerso terrarū
orbe legat⁹ intercedit, deprecatorq; est apud deū,
ut hominum omnium: non uiuentium modo, sed
etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualē
quæso esse oportet? Equidem neq; Mosis, neq; He-
liæ fidutiam fore unquam satis putauerim ad sup-
plicationem huiusmodi peragendam: quandoqui-
dem tanquam mundus illi uniuersus concreditus,
atq; a deo omnium sit pater, sic ad deum ipse ac-
cedit

K

cedit

DE SACERDOTIO

cedit, deprecās quicquid ubiq; bellorum est extin-
gui, turbas solui, atq; in horum locum pacem ac
felicem rerum statum succedere: deniq; celerem
malorum unicuiq; imminentium qua priuatim,
qua publice defunctionem postulās. Porro illum
ipsum oportet tanto omnibus in rebus illis præ-
stare pro quibus intercedit, quantum par est ut
subditos præfectus excellat. Quum autem ille &
spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud
horrore, ac reuerentia plenissimum perfecerit,
communi omnium domino manibus assidue per-
tractato, quæro ex te quorum illum in ordine col-
locabimus: quantam uero ab eo integritatem exi-
gemus: quantam religionem: cōsidera enim qua-
les manus illas administrantes esse oporteat: qua-
lem linguam, quæ uerba illa effundat: deniq; qua
anima non puriorem sanctiorē uel esse conue-
niat animam, quæ tantum illum, tamq; dignum
spiritum receperit: Per id tempus & angeli sacer-
doti assident, & cælestium potestatum uniuersus
ordo clamores excitat, & locus alteri uicinus in
illius honorem qui immolatur angelorum cho-
ris plenus est. Id quod credere abunde licet, uel
ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ego
uero & commemorantem olim quendam audiui,
quum diceret senem quendam, uirum admirabi-
lem, ac cui reuelationū mysteria multa diuinitus
fuisent detecta sibi narraſſe, se tali olim uisione
dignū habitum à deo esse: ac per illud quidē tem-
pus derepente angelorū multitudinem conspexis-
se,



LIBER SEXTVS.

se, quatenus aspectus humanus ferre poterat, fulgentibus uestibus indutorū, altare ipsum circumdantiū: deniq; sic capite inclinatorū, ut si quis milites præsente rege stantes uideat, id quod facile mihi ipse persuadeo. Itē & alius quidā mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & uidisset ipse, & audiisset: qd quī de hac uita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cū pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritū efflaturi, ab angelis illorū corpora satellitū more stipātibus, propter assumptū illud sacrū, hinc recta in cælū abducuntur. Tu uero nō dum exhorrescis talē hanc animā in tam sacrosanctum introducens mysteriū? eumq; qui sordidas uestes induerit, in sacerdotū dignitatē collegiūq; cooptans, quem tm̄ à reliquo conuiuiarum choro Christus expulit? Luminis instar uniuersum orbē illustrantis sacerdotis animū splendescere oportet, noster autē tm̄ habeat tenebrarum ex praua conscientia circūfuserum, ut uereatur ac reformidet, fixis intentisq; oculis cum fiducia dñm suum obtueri. Sacerdotes terræ sunt sales, nostram autem insipientiam omnibusq; in rebus imperitiam quotus quisq; est, qui facili patientiq; animo ferat, præter uosipsum, qui me nimia quadam amoris abundantia prosequi consueuistis?

Caput V.

NEquē enim solum sicut dixi, purum mundūq; sacerdotē esse optet, ut q tali ministerio dign^o habitus sit, sed etiā in primis prudentē,

K e atq;

DE SACERDOTIO

atque adeo multarum rerum experientia instructum ornatumque, in tantum, ut quæ ad uictum cultumque pertinent, ea omnia nihilominus noscat, quàm norunt ij, qui in media hominum turba uersantur: rursus rerum omnium mundanarum securior uiuat, quàm monachi, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam quum illum necesse sit eorum hominum consuetudine ac colloquio uti, qui & uxores habent, & liberos alunt, & seruos possident, quique & diuites admodum sunt, & publice negociantur, & potentia pollent, eundem certe uarium esse conuenit. Varium autem dico, non subdolum, non adulatorem, non dissimulatorem, sed magna tum libertate, tum fiducia plenum, ac qui ex re sese summittere, atque obsecundare sciat, quoties negociorum usus postulat, quique idem benignus sit & austerus. Neque enim unum duntaxat in modum subditis omnibus uti debet, quando neque medicis ipsis conuenit, ut eos omnes, qui morbo laborant, uno eodemque modo tractent, neque gubernatori, ut unam tantum artem calleat, qua aduersus uentos depugnet. Etenim sacerdotij nauem assiduæ tempestates circumsistunt. Huiusmodi autem tempestates non solum extrinsecus adoriuntur, sed etiam intrinsecus nascuntur: quo fit, ut sacerdos diligenter accommodare sese ad multos, ac de iure suo quodammodo concedere debeat. Quæ omnia uel inter se pugnantia ad unum hunc finem spectant, nimirum ad dei optimi laudem atque ecclesie ædificationem.

Ca

LIBER SEXTVS.

Caput VI.

Monachorum certamen ingens, ac labor multus est. Verum si conferre quis uolet instituti illius sudores, cum recte administrato sacerdotio, certe tantum esse inter illa duo discrimen comperiet, quantum est inter priuatum ac regem interuallum. Nam illic quanquam magno pere laborandum, tamen labor concertatioque huiusmodi, corporis, atque animi communis est, seu ut uerius dicam, labor huiusmodi maiori quidem ex parte corporis constitutione absoluitur. Quod quidem nisi ualens fuerit, animi promptitudo in seipsa uertitur, ac ueluti soliuaga et ieiuna manet, non habens quemadmodum in opus exeat. Quippe contento studio ieiunare, humi decubare, aduigilare, illoto esse corpore, multum desudare: & cetera id genus, quæ monachi ad durandum affligendumque corpus sibi exercenda proponunt, statim omnia depereunt, nisi corpus quod castigandum est sufferendis afflictionibus illis par fuerit. Hic uero nuda simplicis animi arte opus est, ac certe tali quæ corporis habitudine nihil indigeat, ut suam ipsius uirtutem prodat. Quid enim nobis præsidij corporis robur ad id conferre possit, ut neque præfracti, neque iracundi, neque procaces simus? sed sobrii potius, casti, honesti, aliisque animi uirtutibus instructi, per quas beatus Paulus ineffabilis sacerdotis imaginem numeris suis omnibus absolutam esse uoluit: quod ipsum itidem dicere non possis de ea uirtute quæ monachus præstare debet.

K 3 At

DE SACERDOTIO

At quemadmodum præstigiatoribus necessaria quidem est instrumentorum, rotarum, funium, gladiatorum copia, uarietasque: contra, philosophus uniuersam artem in animo reconditam habet, externarum rerum nihil indigens: sic & hic monachus eo amplius, alieno indiget officio, eaque benignitate quæ uice aliena commoueatur, & conuenientia item rerum locorumque ad uitam illam comodorum, ut ij loci neque ita multum ab hominum conspectu remoti, solitudinis tamen ocium quietemque habeant, neque ijdem optima anni atque aëris temperie carcant. Nihil enim esse possit intolerabilius ei, qui abstinentiis ieiuniisque corpus suum macerat, quam cæli atque aëris intemperies, ut si leam hic quam multa monachis ipsis negocia necessario exhibeant tum uestium confectio, tum uitæ cura: quippe quum certatim etiam contendant omnia per se opera peragere. Sacerdoti autem quod ad ipsius usum pertinet, nihil his opus fuerit, qui ipse se quum minime curiosum, tum promiscuum omnibus his in rebus quæ damnum non afferant præstare, tum uero scientiam omnem in animi sui thesauro reconditam habere debeat: Quod si quis existet, qui admiretur, laudetque sacerdotem eum, qui sibi ipse uiuēs domi se contineat, ac multorum consuetudinem usumque auersetur: equidem ipsum hoc patientiæ specimen aliquod esse dixerim, non tamen idoneum id argumentum uirtutis omnis eius, quæ illius animo inesse debet, affirmauerim. Nam qui intra portum ad gubernat

LIBER SEXTVS.

bernaculi regimen assidet, is non continuo sufficiens artis periculum præbet. At uero qui in medio mari collocatus, nauem sæuiente tempestate eripere potuit, hunc certe nemo est, qui non optimum gubernatorem esse dixerit.

Caput VII.

PRoinde nec monachum ipsi magnopere ac supra modum admirabimur, quod is a pud se uiuens neq; cōmoueatur, neq; in multa ac magna peccata prolabatur. Neq; enim ei res illæ adsunt, quibus ipse animo iritetur extimuleturq;. At uero si quis se ipse turbis uniuersis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus cum esset, incōcussus immotusq; perstiterit, animum ipsum uel tempestate actum tanq̄ in malacia, ac trāquil- litate gubernans: hic profecto dignus est, quem oēs plausu atq; admiratione prosequantur, abunde enim suæ ipse uirtutis periculum fecerit. Ne te igitur admiratio subeat, si qui à foro atq; à popu- lari consuetudine abhorremus, accusatores mul- tos non habeamus. Neq; enim si quum obdormi- rem, non deliqui: neque si quum non colluctarer, non cecidi: neque si quum non depugnarem, non percussus sum, mirari oportuit: quis enim, obse- cro, quis, inquam, deferre poterit, ac detegere fla- gitium meum? tectum ne, cubiculum que hoc? at in uocem erumpere non possit, an mater poti- us, cui uni imprimis res omnes meæ notæ sunt? An ne cum illa quidem mihi quicquam cōmune est,

DE SACERDOTIO

neq; ipsi inter nos in rixam, contentionemq; ul-
lam uenimus. Id quod etiam ut acciderit, equidē
nullam esse matrem existimo sic à pietate chari-
tateq; alienam, sic à liberorum amore abhorren-
tem, ut quem parturierit, pepererit, educauerit,
nulla causa impellente, ac nemine cogente eum
palàm uituperare, ac criminari sustineat. Nam si
quis alioqui meum ipsius animum exquisite excu-
tere uelit, certe permulta in eo desiderabit. Id qđ
ne tibi quidem incognitum est, qui me tamē apud
omnes laudibus in cælum efferre consueuisti. Ac
sanē quod non extenuandi mei nomine hoc pro-
nunciem, reminiscere si placet, quoties tibi dix-
erim, quum huiusmodi sermo identidem inter nos
incidisset, si quis optionem mihi proponeret, utrū
ego institutum sequi, inq; eo clarescere mallet, in
ecclesiæ alicuius præfectura, an in monachali soli-
tudine, me prius illud uitæ genus mille calculis
antepositurum. Neque enim cessauī unquam illos
apud te suspicere, qui munere illo iuste defungi
possent: me uero id munus non detrectaturum
fuisse, quod tantopere magnifacerem, si modo il-
li probe pertractando par fuisset, nemo certe cō-
tradicturus est. Verum quid facerem? Equidem
nihil minus utile, minusq; aptum esse puto ad ec-
clesiæ præfecturam administrandam, quàm ani-
mi mei pigritiam hanc, atq; socordiam: quam ta-
men alij exercitationem esse existimant. At ego
ipsam quasi meæ imbecillitati uelamen præten-
do. Qua quidem ex ijs quæ in me desiderantur
plu

LIBER SEXTVS.

plura obtego, neq; sese prodere patior. Quisquis enim tanti ocij fructum capere, multaq; in quiete uitam transigere assueuerit, ut magno etiam ingenio præditus sit, is sanè siquid agendum est, in quo tyrocinium nõ posuerit, animo statim turbatur, ac percellitur, obtundunturq; magna quidem ex parte facultates uiresq; illius omnes, nisi eas antea ad ipsum quod facturus est, probe exercuerit. Qui si forte simul & tardo ingenio natus, & certaminum huiusmodi expers fuerit, suscepta ista sacerdotij administrandi prouincia, nihil prorsus qd nostrate uerbo dicitur, à statuis distabit. Quã ob rem pauci admodum existunt, qui ex palæstra illa in hæc certamina descendant: quotquot autẽ descendant, ex ijs plures sese quales sint produnt: tum uero animis concidunt, deniq; insuaues atq; acerbis sese res deuorare intelligunt. Nec ab re quidem illud. Quum enim non eadem sunt, neque iisdem de rebus proposita certamina, exercitationesq;, tum fit ut qui decertat, ab eo qui prorsus inexercitatus est nihil discrepet.

Caput VIII.

GLoriam imprimis contemnere eum oportet, qui in stadium istud decertaturus descendit, iram superare, ac multa prudentia abundare. Huic autem qui solitariam uitam amplectitur, nullus prorsus exercitationis campus propositus est. Nam neque iritantes habet multos, ut hac ratione meditetur, ac sese exerceat in coërcenda ani

DE SACERDOTIO

mi excandescant: neque rursus palpatores applausores, ut hac item ratione popularem auram respicere discat. Præterea hoc hominum genus non admodum laborant, eam sibi parare animi prudentiam, quam ecclesie administratio requirit: quod fit, ut quum in ea certamina descenderint, quorum nullum antea periculum fecerint, hæreant ipsi, hallucinentur, ineundi consilij inopia laborent, atque adeo præterquam quod ad uirtutem progressionem nullam faciunt, eas etiam dotes quas secum attulerant, plerique plerumque deperdunt. Tum **Basilii**: Quid igitur? eos qui in media hominum turba uersantur, ac uitæ huius cultum, negocia, curas sequuntur, quique interdum ad rixas, ad pugnas, ad maledicentias occalluere, sexcentis ingenij facultatibus artibusque instructi, deliciisque affluentes, ecclesie regimini præficiemus? **Dij** meliora inquam. Huiusmodi enim hominum ne in mentem quidem tibi uenire debet, quum de sacerdotum delectu agetur. At uero si quis existet, qui uel multorum hominum usum conuictumque ferent, possit item animi puritatem, constantiam, sanctimoniam, tolerantiam, sobrietatem, cæterasque uirtutes quæ monachis insunt, magis etiam incorruptas, atque inconcussas seruare, quam ipsi etiam monachi seruent: hic tibi sanè deligendus erit, quandoquidem quisquis uitijs multis quum laborat, eadem illa potest solitudine dissimulare, atque obtegere, sicque intra se continere ne in opus erumpant, propterea
rea

Basilii.

**Chryso-
stomus.**

LIBER SEXTVS.

rea quod nullorum conuictu hominum utatur: hic certe si in medium accesserit, nihil inde lucrū assequetur, nisi quod tum ridiculus futurus est, tum etiam maius periculum subiturus. Id quod nobis propemodum accidisset, nisi dei optimi prouidentia ignem hunc à capite statim meo defendisset. Neque enim dissimulare se ipse potest, qui moribus ijs fuerit, quum in luce hominumq; cœtu uersatur. Verum quoquò se ille uertat, statim proditur: ac quemadmodum fit, ut metallicas materias ignis probet, ita & cleri exacta probatio mortalium animos secernit, atque interno- scit: ac si quis est uel iracundus, uel pusillanimis, uel gloriæ appetens, uel arrogans, uel alio quo- uis animi morbo obsessus, id omne detegit, ac la- tentes statim morbos denudat: neque uero denu- dat solum, sed etiam tum asperiores, tum impo- tentiores reddit. Nam ut corporis uulnera attri- tu ipso fiunt curatu difficilia, sic natura compara- tum uidemus, ut animi morbi, si irites exasperesq; magis ac magis rebellent, atq; incrudescant, do- minorumq; suorum peccata augeant. Etenim ad ambitionem statim attollunt impelluntq;, eum qui sibi cauere, atque imperare nesciat. Itémque ad arrogantiam, auaritiámque: clam autem ad delicias pertrahunt, ad animi remissionem, ad ignauiam, ac pedetentim ad alia deinceps indi- dem enascentia. Multa em̄ alia sunt uitia ijs quæ cōnumerari intericcta, quæ animi uim eneruare,
CUIE

DE SACERDOTIO

cursumque ipsum diuini studij interpellare possunt. Atque in primis mulierum usus consuetudoque. Neque enim potest antistes qui gregis uniuersam curam suscepit: uiris tantum curandis operam dare, mulierum autem curam negligere: qua in parte magna profecto opus est prouidentia, quod facile ad peccandum quisque procliuis fit, sed illum oportet cui administrandus episcopatus forte obuenerit, pro illarum salute si non maiorem, at parem certe curam studiumque impendere. Nam & eas inuisere ægrotantes, & solari lugentes, & increpare languentes, & adiuuare afflictas operæ precium est: quæ omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus dæmon inuenire potest, nisi exactissima quis, ac munitissima custodia sese uallauerit: quippe animum ipsum ferit ac commouet, non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus: præterea & palpationes emolliunt, & honores mancipant. Tum uero charitas feruens, eadem bonorum omnium autor, his qui ea recte uti nesciunt malorum omnium autor fit. Aliquoties autem & sollicitudines assiduæ mentis acumen hebetant, eumque qui animo uolucris ac pernici fit, plumbo grauiorem reddunt, denique & ira, quæ in animum forte inuasit, fumi instar interiora omnia à se occupata inuoluit. Caput IX.

Iam quis reliqua enumeret incommoda, contumelias, uolentias, incusationes: non solum quas uiri prudentes, sed etiam quas tamen tenuiores, tum imprudentes intendunt: quæ hominum pars quam recto

LIBER SEXTVS.

recto animi sensu ac iudicio careant, conqueri, atque exoptulare nunquam cessant, excusationes quibus te aduersum illos defendas haud facile admittentes. Porro & antistitem qui bonus sit, oportet ne istos quidem contemptui habere, sed multa cum humanitate, facilitate, comitate, omnium criminationes diluere, iniustas potius accusationes condonantem, quam ob eas ægre ferentem, ac succensentem. Si enim Beatus ille Paulus ueritus est ne furti apud discipulos suspectus eēt, quo nomine & alios in pecuniarum administrationē secum assumpsit, ut ne quis, inquit, nos carpat in hac exuberantia quæ à nobis administratur: quomodo non omnia à nobis agenda sunt, ut malas à nobis suspensiones amoueamus quantumuis licet falsas, iniquas, & ab ea quam habemus opinione alienas? A nullo enim peccato tantum absumus, quantum à furto aberat Paulus. Attamē tantum ille quum abesset à prauo huiusmodi facinore, ne sic quidem negligendam sibi putauit communem multorum suspensionem, etiam si admodum iniquā atque insanam. Insania enim mera, tale quid suspicari de beato illo, atque admirabili Pauli animo. Nihilominus tamen, quum huiusmodi suspicio sic iniqua, atque absurda foret, ut in nullius animū, nisi eius qui mente alienata esset, influere posset, causas ille à se omnes procul amolitur. Neque uero hac se defensione tuetur. Quisnam uero uestrū hoc ipsum de nobis suspicari sustineat, quum nemo ex uobis sit, qui nos tū ex signis miraculisq;

2. Cor. 8.
tam

DE SACERDOTIO

tum ex uitæ honestate atq; integritate non reue-
reatur atq; admiretur? At contra & suspicatus il-
le est, & expectauit prauam hanc de se suspicio-
nem, atq; idcirco radicitus eam auellit, seu ut ue-
rius dicam, ne initio quidem exoriri eam permi-
sit, quam ob rem? Procuramus enim, inquit, quæ
honestæ sunt, non modo coram domino, sed etiam
coram hominibus. Tantum certe oportet, imò ue-
ro longe maius studium adhibere, ut malas opi-
niones non solum dum erumpunt diuellamus ar-
ceamusq;, sed & procul unde erūpere possint pro-
spiciamus: atq; adeo causas ipsas, è quibus enascā-
tur, longo ante tempore interimamus: non etiam
dum coalescant, et in uulgi ore uersentur, ac diuul-
gentur expectemus. Tum em̄ haud procliue fue-
rit illas delere, sed admodum difficile, fortasse etiā
nulla eas arte tum extinguere ualeas. Neq; uero
tum res noxa careat, propterea quod hoc ipsum
fiat quo tempore multorum conscientiam iam læ-
seris. Sed enim quousque tandem immorabor in
persequendis ijs quæ oratione quidem assequi mi-
nime ipse possim? quippe difficultates eas om̄es
recēdere uelle, quas episcopum tolerare oportet,
prorsus nihil aliud fuerit, quàm maris altitudinē
emetiri, Nam ut fit etiam ille ab omni animi per-
turbatione liber, id quod assequi nemo certe po-
test, tamen emendandis corrigendisq; aliorum
delictis labores ærumnasq; infinitas perferre ne-
cessario cogitur. Quibus quidem si domesticos pe-
culiarsq; morbos addideris, hic tu contemplare
labo

LIBER SEXTVS.

laborum pelagus, curarumq; abyssum, & quę epi-
scopo toleranda erūt, uolenti & domestica & alie
na mala edomare. Atq; hic Basilius. Nunc uero, **Basilius.**
inquit, nullus ne tibi labor huiusmodi subeundus?
nullæ ne animum tuum curæ in solitudine ista ex-
cruciant? Excruciant quidem, inquam, uel hodie. **Chryso-**
stomus. Qui enim potest is qui homo quidem ipse sit, ac
uitam hanc ærumnosam uiuat, à curis, laboribus,
angustijs liber euadere? Verum haudquaquam
certe paria inter se sunt, immensum pelagus eme-
tiri, & fluuium aliquem nauigio transmittere. Tã
ingens enim has inter, & illas curas interiectum
est interuallum. Equidẽ si hodie possim usui alijs
esse, id utiq; desiderijs, uotisq; om̃ibus concupiscã:
sin id præstare non possim, at mihi certe factum
satis putabo, si me seruare, atq; à tempestate exi-
mere dabitur. Tu uero, inquit Basilius, hoc ipsum **Basilius.**
magnum esse censes? Prorsus autem & te serua-
tum iri putas, qui alios nulla re iuueris?

Caput X.

BEne ac recte, inquam, elocutus es. Neq; enim **Chryso-**
stomus. id mihi persuasi, saluum fieri quenquam pos-
se, qui pro proximi sui salute nihil laboris impen-
derit, quum neq; miserum illum quicquam iuue-
rit, talentum sibi traditum non imminuisse, imò **Matt. 23.**
hoc ille nomine perijt, quod illud non auxisset du-
plicassetq;. Veruntamen leuius mihi supplicium
adfore puto, si accuser cur & alios ipse non serua-
uerim, quã si et me item unã cū illis pdidero, tanta
ista

DE SACERDOTIO

ista sacerdotij dignitate suscepta, longe ipse dete-
rior, sceleratiorq; effectus.

Caput XI.

Equidem nunc mihi persuadeo fore, ut tan-
tum mihi supplicium irrogetur, quantum
peccatorum à me perpetratorum magnitudo po-
stulat: qui si principatum hunc suscepero, tum me
sanè pœnam pendere oportebit non duplam, tri-
plam ue, sed lōge item grauiorem, hoc ipso quod
simul plures læserim, simul post maiorem hono-
rem à me acceptum, deum opt. qui me honore il-
lo dignatus fuerit, offenderim. Propterea enim
deus Israëlitas accusans, ob id acrius ostendit ma-
iori illos pœna dignos, quod peccauerint post ho-
nores ab ipso acceptos: aliquoties in hæc uerba
Leuit. in multis locis. eos compellans. Atqui uos delegi ex omnibus ter-
ræ tribubus, propterea uindicabo in uos impieta-
tes uestras. Aliàs autem: Assumpsi ex filiis uestris
qui essent prophetae, itemq; ex adolescentibus ue-
stris qui mihi sancti essent. Atque adeo ante pro-
phetarum tempora, ostendere uolens deus hoim
peccata longe maiori supplicio expiari, dū à sacer-
dotibus, quā dū à priuatis perpetrant, mandat ut
tantundē pro sacerdotibus, quantū pro uniuerso
populo sacrificiū offerat. Quod quidē quid aliud
signat quàm sacerdotis uulnera maiori medica-
mento atq; auxilio indigere: atq; adeo tanto, quā-
to coniuncta simul uniuersi populi uulnera indi-
gent? Porro maiori nequaquam indigerent, nisi
ea

LIBER SEXTVS.

ea grauiora forēt. Atqui grauiora certe fiunt, nō natura ipsa, sed sacerdotis qui ea commiserit conditione ac dignitate. Cæterum quid hic nos de uiris uerba facimus, qui ministerium pertractantes sacris operarentur? quum & sacerdotum filia, quibus ipsis nihil cum sacerdotio commune est, propter dignitatem paternam eorundem peccatorū pœnam multo acerbiolem sustineant. Ac peccatum quidem par, æqualeq; tum quod ille, tum qd priuatorum hominum filia perpetrarint, mœchatio enim utrunq; at multa illis irrogata multo seuerior. Cernis quā abūde deus declaret lōge maius sese supplicium à principe quàm à subditis exigere? Neq; enim qui in filiam propter eius patrem, grauius quàm in alias quascunq; animaduertit, à patre certe, qui ipsi auctarij pœnæ in filiam irrogandæ autor sit, parem, eandemq; cum multis pœnam exiget, sed multo sanè grauiorē. Id quod uel maxime consentaneum est, Non em̄ damnū inde exoriens in illū tm̄ recidit, uerū & infirmorū, & eorū itē oīm quorū oculi in illū cōuersi sunt aīos lædit. Hoc ip̄m & Ezechiel docere uolēs seperat secernitq; arietes ab ouibus. An ne tibi nunc uidemur iusto terrore percussi fuisse? Nam præter illa quæ à me dicta sunt, quanquam magnopere mihi ad laborandum est, ut ne penitus ab animi huius morbis opprimar, tamen laborem ipsum sustineo, nec certamen quidem subterfugio. Etenim animus quidem meus ab inani gloria uel hodie capitur. At ego exerto capite sæpe

1. Reg. 4.

Ezech. 34

L nu

DE SACERDOTIO

numero resipisco: ac me captū esse intelligo, atque
 adeo aliquoties captū seruilemque animū increpo.
 Obrepunt mihi uel hodie absurde quædā appetē-
 tiæ: sed quæ remissiorē incendant flammā, propte-
 rea quod oculis extrinsecus materia nulla suppedi-
 tet, qua ignis conceptus foueatur. Vaco autē pror-
 sus ab oblocutionibus, maledicentisq̄, quas uel in
 alios contorqueā, uel ab alijs in me contortas au-
 diā: quū nullos habeā, quibuscū sermones ipse me-
 os conferre possim. Neque em̄ priuati hi parietes
 uocē ædere ualeant. Sed nec iræ quidē moderari
 perinde possum: etiā si nullus adsit à quo iriter. Sæ-
 pe em̄ quum mihi in mentem uenit ineptorū quo-
 rundam hominū, facinorumque ab illis perpetrato-
 rum, tum certe fit, ut animo intumescam, commo-
 uearq̄: qui tamen animi motus non ad finem usq̄
 decurrit. Statim enim excandescentem illum com-
 pescimus, persuadentes, ut conquiescat: præsertim
 ubi illum docuerimus, insulsissimum esse extre-
 mæque demum infelicitatis, suis aliquem malis in-
 commodisque prætermittis, in alienis curiosum es-
 se. Qui si in multitudinis consortium me confe-
 ram, perturbationumque illarum infinitate occu-
 per, iam non liceat admonitione huiusmodi per-
 frui, neque rationes eas comminisci, quibus ani-
 mus mihi meus sic instruatur, atque erudiatur. Sed
 quemadmodum fieri uidemus, ut qui fluctu ra-
 piente, aut alia ui in caput præcipites ferunt, pos-
 sint quidem interitus sui finem prospicere: at sa-
 lutis rationem inire non item: sic & ipse si in mul-
tum

LIBER SEXTVS.

tum illum morborum tumultum irruero, potero quidem supplicium meum intueri in dies magis ac magis ingrauescens: mihi autem constare, quē admodum & mihi nunc consto, ac morbos huiusmodi undecunque rabientes increpare, non perinde facile atq; antea. Mihi enim animus imbecillis, exiguus, & captu admodum facilis, non ab his tantum morbis, sed & ab inuidia, morbo omnium longe molestissimo qui animus neq; contumelias, neque honores moderate ferre potest: quin potius supra modum ut his attollitur, ita illis deprimatur. Ergo quemadmodum ferarum immanium est, ut dum læto saginatoq; corpore gestientes luxuriant, facile eos uincant qui secum depugnent, præsertim si illi imbecilli ac pugnandi minime periti fuerint: si uero eas quis fame macerarit, strigosasq; effecerit, tum fiat ut illarum furorem sopiat, ac uirium bonam partem sic contundat, ut qui non admodum generosus fortisq; sit, possit cum illis facile decertare ac depugnare: sic & animi morbos quisq; infirmos reddiderit, eos certe sub rationis gyrum facile reducit. Rursus quisquis exquisite educauerit, molestiorem sibi aduersus illos pugnam constituit: atque hac demum ratione sic aduersum se terribiles efferosq; reddit, ut cogatur in perpetuum seruitute, tum formidine uitam transigere. Quænam igitur beluarum istarum alimenta: inanis quidē gloriæ alimenta sunt laudes, atq; honores: Contumaciæ, potentiæ atq; adeo licentiæ ma-

L 2 gni



DE SACERDOTIO

gnitudo: Inuidentiæ, alienæ famę celebritas: Auaritiæ, largientium liberalitas: Intemperantiæ, deliciæ atq; assidui mulierum congressus. In summa ne hic de singulis agam, alimentum aliud, aliud peccatum alit. Proinde belluæ hæ omnes me, si in medium hominum cœtum accessero, magno impetu adorientur, animumq; hunc conturbabunt: tum uero terrorem afferentes, molestiorem mihi aduersum se pugnam efficient. Cæterū tantisper dum solitudinem hanc colo, quanquam cum illis etiam luctans, tamen dei opt. gratia adiutus, eas sic domo, sic subiicio, ut præter latratum nihil habeant. His de causis in hoc me ipse cubiculo contineo: his de causis facile patior, alios quærentes, nemini ad me aditum patere, contuberniumq; ac conuictum meum cum nemine communem esse: quumq; infinitas in me id genus criminationes congerunt: quas equidem lubēs abstergerem, sed quum id non liceat, quod proximum quidem est, animum hunc dolore compungo, ac mœstitia excrucio. Neq; enim procliue mihi est uno eodemq; tempore tum hominum consuetudine uti, tū hac in animi securitate, ac præstantia persistere. Quo fit ut teipsum exhorter eum potius miserari, quā calumniari ut uelis, qui tanta difficultate interceptus sit. At uero, ipse tibi quod uideo nondū oratione mea persuasi. Itaq; appetere iam tempus reor, ut quod unum super est mihi arcanum, id in sinum tandem tuum effundam, etiamsi multis id fortasse tale futurum sit, ut credi minime debeat

LIBER SEXTVS.

beat, me uero quicquid id est, ne hac quidem ratione euulgare pudebit. Nam ut illud à me euulgatum, futurum sit tum malæ huius conscientia, tum infinitorum peccatorum argumentum: tamen quum non alius quàm deus ipse, cui uni nihil certe occultum est, de nobis iudicium facturum sit: quid nobis tandem lucri, quid emolumentum ex hominū ignorantia, hac in parte accedere poterit?

Caput XII.

Quodnam igitur arcanum hoc est? Ab eo ipso die in quo tute mihi episcopatus suspicionem hanc iniecit, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolueretur. Tam ingens pavor, tam ingens mœstitia animum meum occupauit. Nam quum apud me considerare Christi sponsæ gloriam, sanctimoniam, uenustatem spiritualem, prudentiam, ornatum: tum uero animi mei uitia expenderem, fiebat ut assiduis tum illam, tum etiam me gemitibus luctibusque prosequerer: quo in animi angore doloreque dum essem, his me ipse uerbis conueniebam: Quis nam consilij huius autor fuit? quid tandem tantum peccauit dei ecclesia? quænam tanta res ipsius ecclesiæ dominum excitauit, induxitque ut illam ipsam tanto cum eius dedecore mihi mortalium omnium ignominiosissimo regendam traderet? Hæc ipsa mecum identidem reputans dum absurditatis, indignitatisque huiusne cogitationem quidem animo sustinere ualerem, fiebat, ut eorum

L s in

DE SACERDOTIO

instar qui attoniti sunt, stupens, neque cernere, neque
audire quicquam possem, Ab hæsitantia autem, ac cõ-
sternatione huiusmodi quum animus tandẽ meus
dimissus esset, faceſſebat enim, intermittebatque il-
la nonnunquam, succedebant lachrymæ, ac mœſtitia,
tum uero post lachrymarum facietatem, rursus
inſinuabat ſeſe timor, animum hunc commouẽs,
conturbans, concutiens. In tanto ego æſtu antea
uixi, quum id ipſe ignorares, meque in tranquillita-
te uictitare exiſtimares. Ego uero tibi hic animi
mei tempeſtatem detegere tentabo: hinc em̄ for-
taſſe ueniam mihi dabis meque tandem inſimulare
deſines. Qui igitur illam detegam? Nam ſi eam
aperte oculis iſtis cernere uelis, id nimirum haud
aliter liceat, quã corde hoc tibi per me prius dete-
cto nudatoque. At uero quandoquidem fieri id nõ
potest hic tibi interim, per obſcuram quandã ima-
ginem, utcunque potero experiar mœſtitiaẽ meã
fumum repræſentare. Tu uero ex ipſa imagine
mœſtitiam tẽm noſtram colligito. Fingamus pu-
ellam quandam regis filiam, & eius quidem cui
terra ea uniuerſa quæ ſub ſole poſita eſt, pareat, à
proco aliquo expeti: tum uero demus nouã quan-
dam in ea ineſſe formæ uenustatem, quæ ſic huma-
nam naturam tranſcendat, ut per eam puella mu-
liebre genus uniuerſum magno admodum diſcri-
mine ſuperet: præterea tantã illi ineſſe animi uir-
tutem, ut uirorũ genus, eorum inquam qui uel an-
tea fuere, uel futuri olim ſunt, longo poſt ſe inter-
uallo relinquat: itemque & morum honeſtate tantã
eadem

LIBER SEXTVS.

eadem excellere, ut uel omnes philosophiæ termini nos excedat: denique talem esse, ut proprii aspectus gratia oculorumque uenustas uniuersam illam corporis totius elegantiam deleat. Addamus item si placet, ipsius procul non ex ijs tamen quæ diximus, uirginis amore ardere, sed furore item nescio quo erga illam affici: quo quidem insanissimos quosque qui antea nunquam extiterint, amatores obliteret: postea procul hunc dum hoc philtro ac furore deflagrat alicunde accepisse, futurum ut puellam illam, quam miro amore depererat, tenuis quidam atque abiectus homuncio, obscuro atque ignobili genere natus, quique idem corpore sit mutilo, denique mortalium omnium nequissimus, in uxorem ducat. Num tibi hic exiguam doloris nostri partem representauimus? satis ne tibi à me factum putas, uel finita hic à nobis imagine? Equidem satis me fecisse puto, quod ad animi mei mœsticiam representandam spectat, cuius unius rei gratia imaginem ipsam adhibuimus.

Caput VII.

AT qui ut tibi item hic metus stuporisque nostri modum oculis subiiciam, ad aliam rursus hypotheseos descriptionemque me confero. Ponito ante oculos exercitum ex militibus tum peditibus, tum equitibus, tum nauticis uiris constantem, ac mare quidem ipsum obtegit triremium numerus: Rursum ipsas camporum planities, ipsos montium uertices hinc peditum, hinc equitum phalanges contegant: æs item armorum oppositum soli splendore

L 4 do

DE SACERDOTIO

dorem reddat: atq; à solaribus radijs & galearum
& clypeorum coruscatio uibretur: hastarum fra-
gor equorumq; hinnitus ad cælū feratur: neq; ma-
re neq; terra appareat. Vbiq; æs, ubiq; ferrū. Sint
item aduersus hos instructi armatiq; efferi qui-
dam, ac truces uiri: Instet iam & conflictus tem-
pus: postea rapiat quis de repente adulescentem
aliquem in agro educatum, ac qui nullus prorsus
artis alterius gnarus sit quàm lyre pastoriciæ ac
pedi, eundemq; armatura ærea quum induerit
per totum illum exercitum circumiens deducat,
ostendatq; manipulos, manipulorum ductores,
sagittarios, funditores, centuriones, duces, cata-
phractos, equites, iaculatores, triremes, triremiū
ductores, milites inibi confertos, naualium ma-
chinarum copiam: ostendat insuper hostium pro-
cinctam aciem uniuersam, & auersandos formi-
dolososq; quosdam in illis aspectus, & armorum
apparatum ab aliorum apparatu diuersum, & im-
mensam multitudinem, & conualles, & alta præ-
cipitia, & montium iniquitates: ostendat au-
tem & aduersarios in equis uolantibus incanta-
tione quadam insiderere, & cataphractos per
aërem ferri, explicata etiam ei incantationis il-
lius ui, ac forma: Recenseat autem & belli cala-
mitates, missilium nubem, iaculorum niuis instar
ingruentium impetum, multam illam caliginem,
& tenebras, obscurissimam noctem, quam sagitta-
rum multitudo efficiat solis ipsius radios densita-
te sua auertens, puluerem tenebris non minorem
omniū

LIBER SEXTVS.

omnium oculos obcæcantem, sanguinis torren-
tes, cadentium gemitus, stantium clamores, iacen-
tium aceruos, rotas sanguine tinctas, equos præ-
cadauerum multitudine unâ cum suis fessoribus
in caput præcipites: terram uniuersam mixtim
hæc omnia continentem, sanguinem, arcus, sagit-
tas, equorum ungulas, hominum capita simul ia-
centia, & brachia & collum, & tibiam, & pectus
transfixum, cerebra ensibus traiecta, iaculi cuspi-
dem effractam, cui hominis oculus tanquam infi-
bulatus hæreat. Recenseat item & classis mala
atq; incommoda. Triremes, aliâs in medijs aquis
conflagrantes, aliâs cum cataphractis ipsis pes-
sum euntes, fluctuum fragorem, nautarum tumul-
tuationem, militum clamorem, spumam tum un-
darum tum sanguinis mixtam, eandemq; in na-
ues simul omnes irrumpentem, cadauere, alia in-
per ipsa nauium transtra iacere, alia submergi,
alia adnatate, alia ad littora æstuantis maris im-
petu eijci, alia intra ipsos fluctus sic obrui, ut nau-
bus iter ueluti obsepian. Postremo quum exacte
belli tragœdias omnes edocuerit, addat item &
captiuitatis calamitates, & seruitutem nulla non
morte duriolem: Ac secundum hæc omnia, iubeat
illum continuo in equum adscendere, uniuersiq; il-
lius exercitus ducem agere. Num tu hic adulescen-
tulum illum censes uel nudæ harum rerum narra-
tioni sustinendæ parem esse posse? ac non potius
uel à primo statim aspectu animo defecturum?
Proinde ne me ipse hic putes rē oratione attolle-

re, neque hoc ipso quod corpore sic, ut carcere aliquo inclusi, nihil prorsus rerum inuisibilium cernere possimus, magna ea esse ducas, quæ à me dicta sunt. Vidcas enim eo prælio longe tum maius tum horribilius, si tibi forte caliginosissimam illam diaboli aciem, conflictumque insanum oculis istis cernere liceat, non enim illic aut æs, aut ferrum, non equi, non currus, non rotæ, non ignis, non iacula ista quæ cernimus, uerum alia quædam machinamenta, ijs quæ dixi longe terribiliora. Certe aduersarijs istis nequaquam opus est thorace, non scuto, neque ensibus, neque hastis. At uero uel nudus execrandæ illius militiæ aspectus talis est, ut humanam animam à corpore ipso dissoluere possit, nisi ea admodum generosa fuerit, atque adeo antequam à uiribus ipsa suis auxilium petat, diuinæ in se clementiæ prouidentiam senserit. Ac sanè si liceret corpore hoc exuto, aut uno etiam cum ipso corpore perspicue atque intrepide uniuersam illius aciem, bellumque contra nos instructum ipsis oculis coràm conueri, uideres utique non sanguinis torrentes, neque corpora demortua, sed animarum lapsus tam multos, sed uulnera sic graua, ut tibi statim belli uniuersa illa pictura, quam modo expressi, puero rum quorundam lusiunculæ, & ludicrum potius, quàm bellum uideri possit: tam multi certe ac frequentes ij sunt, qui in dies singulos feriuntur: quorum uulnera non idem mortis genus pariunt: sed quantum inter se dissident anima atque cor

COR



LIBER SEXTVS.

corpus, tantum est certe inter mortem hanc atq;
illam discrimen. Nam quoties plagam anima ac-
cipit, eandemq; cadit, hinc prostrata quidem ia-
cet malæ iam conscientia cruciatu contabescens,
postea uero iam separata à corpore hinc emigra-
rit, per iudicij sui tempus æterno crucianda sup-
plicio traditur. Quod si quis existet qui diaboli
plagas non persentiat, nimirum illius morbus ex
ea indolentia ingrauescit. Quemcunque enim
plaga una inflicta non mordet, neq; attristat, is
certe facile & alteram excipit, itemq; & hac acce-
pta tertiam: neq; enim intermittit ad extremum
usque spiritum feriens nefarius ille, quoties inue-
nit animam supinam, prioresq; plagas conte-
mmentem: qui si & congressus modum expende-
re uelis, hunc certe longe ac rionem, ac magis di-
uersum comperies. Neque enim quisquam est qui
tam multas fraudis, doli, artificij formas norit,
quàm multas ille sceleratus ille hostis nouit. Qua
quidem in parte maior illius uis ac potētia inest:
neq; inimicitias quis tantas tamq; inconciliabiles
aduersus hostes sibi infensissimos gerere potest,
quantam ille aduersus humanam naturā gerit.
Porro si quis examinet quāta cum inhumanitate
is depugnet, ridiculū certe fuerit hoīes hoc in lo-
co conferre. Sin iracundissimas ac truculentissi-
mas quasq; feras delegeris, quas cum huius furo-
re atq; insania conferas, reuera mansuetissimas
humanissimasq; eas à comparatione comperies:
tantum ille in animas nostras furorem spirans

CON

DE SACERDOTIO

conijcit. Adde quod & pugnae inter homines gestae tempus breue quidem esse solet: qua etiam in temporis breuitate multae dantur induciae. Nam & natura ipsa sic comparatum uidemus, ut & noctis superuentus, & iugulandi labor, & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia militi respirandi potestatem sic faciant, ut & armaturam exuere, tum uero paulum respirare, seque & cibo & potu reficere, multisque rebus alijs pristinas uires recuperare ualeat: aduersus autem diabolum dimicanti nunquam licet arma ipsa ponere, somnum uel ullum capere, ei praesertim qui perpetuo inuulneratus, praelio excedere uolet. Ex duobus enim necessario alterum consequitur, ut aut cadat quis ac pereat armis spoliatus: aut continenter uigilet, armatusque stet. Siquidem ille continenter cum sua ipsius acie stat, socordias nostras obseruans, ac maius quidem afferens studium ad nostram internicionem, quam ad nostram ipsi nos salutem afferamus. Postremo ut semel finiam quod a nobis hostis ille minime cernatur, quodque de repente atque improuiso nos adoriatur, quae res ipsi ipsis qui non assidue in excubijs uigilantes fuerint, infinitorum malorum causa esse solet, facit nimirum, ut bello hoc aegrius ipse ac maiore cum negotio, quam illo defungi possis. In hoc ergo campo uoluisti nos Christi militibus duces esse? Hoc ipsum uero quid aliud erat quam diabolo potius duces esse? quum enim is qui caeteros ipse debet tum in ordines partiri, tum militaribus armis instruere

LIBER SEXTVS.

struere, omnium simul infirmiffimus, simul impe-
 ritiffimus fuerit, fit nimirum ut suæ fidei creditos
 prodat, & diabolo magis quàm Christo ducem
 agat. Tu uero quid ingemiscis? quid lachryma-
 ris? neq; enim rerum nostrarum conditio lamen-
 tatione, sed gaudio potius, ac lætitia prosequen-
 da. Mea uero, inquit, non perinde se habet, quin
 potius infinitis digna ea est planctibus. Vix enim Basilius.
 potui ipse uel hæctenus animaduertere, quò me
 malorum detruseris. Siquidem ad te ipse eo solo
 nomine audieram, ut abs te docerer, quid mihi
 tandem ijs deinceps respondendum uerbis tuis fo-
 ret, qui te insimularent: tu uero me ipse amandas,
 curam aliam pro alia mihi iniiciens. Neq; enim
 sollicitus iam sum, qua te ego apud illos, uerum
 qua tū me ipsum, tū delicta mea apud deū defen-
 sione, excusatione q; tuear. Atqui abs te ipse iterū
 atq; iterum peto & contendo, si qua tibi rerum
 mearum cura, si qua in Christo cōsolatio, si quod
 dilectionis solatium, si qua uiscera, & commiser-
 ationes esse possunt, tibi enim in primis notum, ma-
 nifestum q;, quo me malorum adegeris, manum
 mihi auxiliatricem porrigas, ea deinceps in gra-
 tiam meam apud me tum dicens tum faciēs, qui-
 bus uita mea corrigi, atq; emendari possit, neu-
 tute, quæso, uel breuiffimum temporis momen-
 tum nos deseras: quinimo sit tibi hoc ipso magis
 tempore quàm antea commune nobiscum contor-
 tium, atque contubernium. Ego autem ad uerba Chryso-
 ista subridens. At qua nam, inquam, tibi in re Ba- stomus.
fili


DE SACERDOTIO


fili usui esse ualeam: qui te tanta ista negotiorum mole pressum subleuare atque adiuuare possim? Enimuero quandoquidem tibi id gratum acceptumque uideo, bono animo esto suauissime Basili: Id enim tempus omne, quo tibi à curis illis respirare dabitur, & tecum ipse adero, & te consolatione mea reficiam, quantum in me erit nulla tibi in re defuturus. Quæ uerba quum ille audisset multo etiam quam antea magis illachrymans fugit. Hic ego illum amplexus, caputque deosculatus deduco, hortans uti generoso fortiq; animo, id omne perferat quod accidisset. Talis enim, inquam, mea est in Christo, qui tibi ipse uocato, ouium suarum curam commisit, fides atque expectatio, ut tu tantam tibi olim ex huiusmodi functione fiduciam apud illum paraturus sis, ut & me ipsum in die illo periclitantem æterni tui
ta
bernaculi
consortem efficias.

DE SACERDOTIO, LIBRI VI. FINIS.

AB: 153 396

X 2203852





IOAN

NIS CHRYSOSTOMI ANTIO

cheni, Archiepiscopi Constantinopoli
rani de dignitate sacerdotali, li
bri sex uere aurei.

GERMANO BRIXIO ALTISSIO
dorensi interprete.

DE HIS SIC SVIDAS.

Iohannes Antiochenus, uocatus Chrysofomus mul
ta scripsisse fertur, ex quibus omnibus, dialogi de sacer
dotu dignitate excellunt, tum sublimitate & elocutio
ne, tum lenitudine atq; elegantia &c.

COLONIAE CVDEBAT

Ioannes Gymnicus.

AN. M. D. XXX.

